



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. II. De merito Iusti,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

muniter fit, non fit præter ordinem communem divinæ providentiæ supernaturalis, fit enim procedendo paulatim ab imperfecto ad perfectum, & disponendo peccatorem ad gratiam, per actus fidei, spei, contritionis, & charitatis: Ergo illa non debet dici miraculum. Dixi, ut communiter fit, quia conversiones aliquæ extraordinariæ, qualis fuit conversio D. Pauli, B. Magdalene, possunt dici miraculosæ, quia sunt præter communem & consuetum cursum divinæ providentiæ, moventis prius animam peccatoris ad conversionem imperfectam, ut postmodum ad perfectam deveniat; Deus autem animam D. Pauli, & B. Magdalene, tam vehementi & potenti gratiâ excitavit & movit, ut statim perfectionem quandam iustitiæ & charitatis affectui sint. Unde de B. Magdalena ait Petrus Damianus serm. 5. de S. Bonifacio: *Stipula tartari in momento cedrus facta est paradisi, atque ut ita fatear, torris inferni factus est splendidum syduæ cœli.* Hinc etiam communiter illi adaptant SS. Patres & Scripturæ Interpretes illud Isaia 21. *Eccc Babylon posita est mihi in miraculum.* Et Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum in allegoriis, ait illum esse mirabilem illum arcum, quem Deus posuit in nubibus, ut signum esset fœderis, quod cum hominibus interat, de quo dicitur Eccli. 43. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit eum, valde speciosus est in splendore suo.* Sicut enim (inquit) arcus fit ex repercussione radiorum Solis, & nube rorida; ita Christus, verus Sol iustitiæ, respiciens Magdalenam veluti nubem roridam, eam velut sacram Iridem variarum virtutum coloribus decoravit, & in lachrymarum imbrem resolvit. Quare de ea canit idem Author:

*Salve versicolor cœlum, Iridis instar, amœnas
Virtutum formas, florigerasque ferens.*

Inferes ultimò, quatuor esse causas justificationis, sicut & cujuscumque alterius actionis, materialem, formalem, efficientem, & finalem. Formalis est iustitia inherens, seu gratia habitualis & justificans, ut art. 3. ostensum est. Materialis est essentia animæ, in qua residet ipsa gratia justificans, ut in Tractatu de gratia visum est. Finalis est triplex: Prima gloria Dei; nam ut ait Paulus ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ; in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Secunda gloria Christi, de qua passim idem Apostolus in Epist. ad Colossenses, & ad Hebræos. Tertia est gloria & beatitudo cuiusque propria, quæ in clara Dei visione consistit, de qua dicitur ad Roman. 5. *Liberati à peccato, finem habemus vitam æternam.* Efficiens etiam est multiplex: Prima & præcipua est Deus, Secunda, eaque instrumentalis, conjuncta tamen cum Divinitate, est Christus ut homo. Tertia est ministrerialis, nempe sacerdos, qui est minister sacramentorum, quæ sunt vasa & instrumenta gratiæ. Quarta est meritoria, & ipsa sola est Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 7. Ad di potest causa exemplaris, quæ est idem Christus resurgens à mortuis: quia ut ait D. Paulus ad Roman. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram:* id est, ut perfectum justificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè, seu non iterum moriturus resurrexit; ita iustifica-

tio nostra, quæ est spiritualis quædam resurrectio à morte peccati ad vitam gratiæ, debet esse prompta, vera, & perfecta: & sicut *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ut ibidem ait Apostolus; ita Christianus in justificatione spiritualiter renascens, & ad vitam gratiæ resurgens, non debet amplius mori morte peccati, nec peccatum illi ultra dominari.

DISPUTATIO II.

De merito Iusti.

Ad quæst. 114. D. Thomæ.

Explicato primo effectu gratiæ habitualis, qui est justificatio impij, consequens est ut de merito iusti, quod est effectus ejus secundarius, disseramus, & quæ tradit S. Doctor quæst. 114. breviter exponamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An homo possit aliquid verè & propriè, seu de condigno, à Deo promereri?

Meritum in communi est quædam affectio seu proprietas actûs humani, prout est moraliter bonus, ut docet D. Thomas supra quæst. 21. art. 3. & si consideretur in abstracto, est jus quoddam ad præmium, seu mercedem ab alio habendam: si verò in concreto spectetur, definiti potest opus retributione dignum. Sed quia boni operis retributio duobus modis fieri vel exigi potest, nimirum vel ex quadam decentia, liberalitate, & ut sic dicam honestate præmiantis, vel ex iustitiæ debito, Theologi duplex distinguere solent meritum: unum propriè & strictè sumptum, quod habet in se valorem & æqualitatem cum præmio, & vocatur *meritum de condigno*: aliud largè & impropriè dictum, quod excedit à præmio in valore, est tamen decens & congruum, ut tribuatur à præmiante, unde dicitur *meritum de congruo*. Exemplum utriusque est in milite, cui proprium stipendium exhibetur de condigno; de congruo verò datur illi beneficium nobilitatis, vel donativum aliquod à Rege. Hic solum agimus de merito de condigno: cum enim illud simpliciter & absolute meritum appelletur, quando hæretici meritum in genere respuunt, potissimum de eo loquuntur. Illud autem tanto odio prosequuntur, ut Calvinus lib. 3. instit. cap. 15. dicat nomen meriti exosum esse, & eum pessimè fidei consuluisse, qui primus humanis hoc nomen aptavit operibus, ad Dei iudicium comparatis. Sunt tamen aliqui ex recentioribus hæreticis, qui meriti nomen admittunt, & concedunt homini aliquod meritum, non tamen vitæ æternæ, sed alterius præmij inferioris ordinis, idque non propter operum proportionem, sed ex sola Dei misericordia, ut refert Bellarminus lib. 5. de iustific. cap. 5. Pro veritatis Catholicæ declaratione & defensione

Dico, hominem, ex gratia seu per gratiam operando, posse verè & propriè, seu de condigno aliquid à Deo promereri.

Probatur primò ex Scriptura, quæ operibus ho-

minum nomen meriti simpliciter & absolute tribuit: Eccl. 16. *Misericordia facit unicuique locum, secundum meritum operum suorum.* Ad Hebraeos 13. *Beneficentia & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus, qui est merces nostrorum operum, juxta illud Genes. 17. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis: nomen vero meriti absolute dictum, meritum de condigno significat, cum meritum de congruo non sit verè & propriè meritum. Unde etiam Scriptura valorem seu dignitatem operum supernaturalium apud Deum explicat per hoc nomen dignus: Sapient. 3. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se:* ad Coloss. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.**

3. Confirmatur: Merces respondet merito de condigno, juxta illud Apostoli ad Roman. 4. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; & illud Augustini Epist. 105. Idem est merces operanti, quod stipendium militanti:* Sed Scriptura variis in locis docet operibus iustorum respondere mercedem apud Deum: Sapient. 5. *Iusti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum:* Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis:* Ergo Scriptura tribuit operibus iustorum meritum de condigno, & non solum de congruo. Unde Tertullianus lib. de penit. cap. 2. *Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis remunerator est causa.*

4. Confirmatur amplius ex aliis testimoniis, in quibus affirmatur Deum, ut iustum iudicem, retribuere premia bene operantibus: 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus iudex:* quod verò datur à Deo ut iusto iudice, datur ex iustitia & ob meritum de condigno. Unde Augustinus tract. 3. in Joan. verba illa Apostoli expendens, sic ait: *Ve susciperet gratiam, misericordem patrem opus habet: ut premium gratia, iustum iudicem:* Ergo &c.

5. Potest etiam suaderi conclusio congrua ratione. In omni Republica bene ordinata necessarium est, ut membra ejus spe premij ad bene operandum alliciantur, & metu supplicij à malo coerceantur: Sed Deus est supremus hominum gubernator, & ejus providentia est perfectissima, praesertim in ordine supernaturali: Ergo maxime decuit, ut etiam in illo ordine hominibus premia proponeret, quae de condigno mereri possent, sicut praordinavit & praeparavit supplicia, quibus mala opera puniantur. Et in hoc Deus honori nostro non modicum profecto consuluit: nam ut eleganter ait Cassiodorus, *Parum laudis habet virtutum corona, quae ex labore non descendit; potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Haec est magnarum ratio virtutum, ut quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirat.* Simili ratione utitur S. Thomas 3. p. quæst. 19. art. 3. ad probandum actiones humanas Christi Domini fuisse meritorias. *Habere (inquit) aliquid donum per se, est nobilius quam habere illud per aliud: semper enim causa qua est per se, potior est eâ qua est per aliud, ut dicitur 8. physic. Et post pauca: Ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum: unde nobilius habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito. Nobilius ergo est & gloriosius homini, quod caelestem hereditatem, aliaque premia ordinis supernaturalis, ex*

A propriis meritis, quam ex sola Dei gratia & liberalitate consequatur.

Eadem veritas patebit ex infra dicendis, cum agemus de conditionibus ad meritum requisitis, & cum ostendemus opera iustorum, informata gratia & charitate, esse meritoria de condigno vitae aeternae.

Fundamenta verò haereticorum levissima sunt, & ad duo praecipua capita reducuntur. In primis dicunt in hominibus etiam iustis nullum esse opus bonum simpliciter, sed omnia eorum opera esse peccata, subindeque non premio, sed supplicio digna, nisi Deus ex misericordia sua illa non imputet. Sed hoc evidenter falsum ac erroneum est, & in Tractatu de gratia fuse impugnatum. Secundo dicunt injuriam fieri meritis Christi, si alia merita à suis invehamus, & hominibus iustis attribuamus. Verum tantum abest, quod merita nostra quidquam gloriae Christo detrahant, quin potius eam magis atollunt & amplificant; cum maxima gloria sit, quod Christus non solum potuerit pro se mereri, sed etiam suis meritis nobis vim ad merendum obtinere: sicut quod causa naturales possint aliquid efficere, non derogat infinite potentiae & efficientiae Dei, sed potius illius virtutem ostendit, quatenus non solum virtutem efficiendi habet, sed etiam potest alios efficientes efficere, servatâ sibi nihilominus semper propria excellentiâ primâ & universalissimâ causâ.

C Objici tamen potest contra nostram conclusionem. Meritum debet esse in obsequium retributoris, ejusque utilitatem: Sed actiones hominis, quantumcumque bonae, non possunt habere rationem obsequij utilis Deo; quia non possumus ipsi propriè dare aliquid, cum ipse habeat majus & perfectius dominium in nostras actiones, quam nos ipsi; unde Job 35. dicitur: *Si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ergo homo non potest aliquid à Deo mereri.

Confirmatur: Ut aliqua actio sit meritoria apud aliquem, non debet ipsi esse debita aliis titulis: Sed nostrae actiones pluribus titulis Deo debita sunt: Ergo non possunt esse meritoriae apud ipsum.

D Ad objectionem dicendum cum D. Thoma hic art. 1. ad 2. non esse necessarium quod opera apud Deum meritoria cedant in ejus utilitatem, sed sufficere quod cedant in ejus gloriam, quam Deus in nostris & in suis operibus quaerit; & quod ipsi placeant, & ab operante in ipsum ut ultimum finem ordinentur.

E Ad confirmationem dico hoc argumentum probare quidem opera nostra non esse meritoria de rigore iustitiae apud Deum, non convincere tamen ea non esse meritoria de condigno, suppositâ ordinatione Dei extrinsecâ, vel intrinsecâ, quâ ad premium ordinantur: in hoc enim differt meritum de rigore iustitiae à merito de condigno, quod primum omnem gratiam factam personae merenti excludit; secundum verò solam condignitatem seu proportionem operis ad premium importat, suppositâ aliquâ gratiâ factâ personae merenti, ut patebit ex infra dicendis.



ARTICVLVS II.

Quæ conditiones ad meritum requirantur?

Terminatâ quæstione, an sit in hominibus meritum de condigno apud Deum, consequens est ut quid sit tale meritum declarem; quod non potest à nobis melius explicari, quam conditiones ad tale meritum requisitas exponendo. Hæ autem ex tribus præcipuis capitibus requiri possunt: primò ex parte actûs capacis meriti; secundò ex parte hominis merentis; tertio ex parte Dei apud quem meretur. Ex parte actûs tres requiruntur conditiones, nempe quòd sit liber, bonus, & utilis alteri, seu factus in obsequium alterius. Ex parte hominis merentis duæ tantùm necessariæ sunt, scilicet quòd sit in statu gratiæ habituali seu sanctificantis, loquendo de merito beatitudinis supernaturalis, & quòd sit in statu viæ. Ex parte verò Dei, apud quem homo meretur, requiritur aliqua ordinata operis meritorij ad præmium. De conditionibus primi & secundi generis agemus in hoc articulo, de ultima verò dicemus in sequenti.

§. I.

Exponuntur tres conditiones ex parte actûs meritorij requisitæ.

Dico primò: Ut actus sit meritorius, debet esse liber, non solum libertate imperfectâ & inchoatâ, quæ spontaneitas dicitur, & solum immunitatem à coactione importat, sed etiam libertate perfectâ & completâ, quæ indifferentiam activam, seu potentiam ad oppositum requirit.

Hæc conclusio est certa de fide, definita ab Innocentio X. in sua Constitutione, ubi hanc propositionem ut hæreticam proscribit: *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed solum à coactione.* Eandem propositionem ut hæreticam prius damnauerat S. Thomas quæst. 6. de malo art. unico, his verbis: *Quidam posuerunt quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogere: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cuius principium est extra; unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti &c.* Hæc autem opinio EST HÆRETICA, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Idem docet in hac parte quæst. 21. art. 3. ubi rationem meriti & demeriti ponit ut proprietatem actûs moralis & humani, de cuius ratione est libertas indifferentiæ. Unde in solut. ad 2. docet hominem esse dominum illorum actuum per quos meretur. Et art. 4. ad 2. sic ait: *Homo sic mouetur à Deo ut instrumentum, quòd tamen non excludit quin moveat seipsum per liberum arbitrium: & ideo per suum actum meretur vel demeretur apud Deum.*

Favent etiam SS. Patres: Hieronymus enim lib. 2. contra Iovinian. ait: *Vbi necessitas, nec corona, nec damnatio est.* Et Bernardus serm. 81. in Cantica: *Vbi non est libertas, nec meritum.* Unde Sapiens Eccles. 31. explicans quâ ratione iustus bene operando meruerit laudem, dicit: *Qui potuit*

Tom. IV.

A transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quia sine hac libertate indifferentiæ, & potentia ad agendum vel non agendum, nihil esset admiratione vel præmio dignum in operibus iustorum.

Ratio etiam suffragatur: Primò quia esse meritorium, vel demeritorium, est proprietas quædam actûs humani: Sed actus purè spontanei, & à sola coactione, non verò à necessitate immunes, non sunt propriè humani: Ergo nec meritorij vel demeritorij. Minor probatur: *Ille actiones propriè humana dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*, ut ait S. Thomas supra quæst. 1. art. 1. Sed actus purè spontanei non procedunt à voluntate deliberata, id est ex deliberatione rationis, & electione voluntatis, ut patet in amore beatifico, vel in volitione boni ut sic: Ergo non possunt dici propriè actus humani.

Secundò: Inter eum qui meretur, & eum qui præmiat, est quidam contractus; nam qui meretur, exhibet obsequium suum, qui autem præmiat, dat mercedem: constat autem quod inter contrahentes nullus dat aliquid, nisi habeat ejus dominium, unde actus meritorius debet esse sub dominio merentis: Sed dominium voluntatis est per libertatem indifferentiæ, per quam in ejus potestate est agere vel non agere, aut agere hoc vel illud, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 82. art. 1. ad 3. dicens quod *sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere*: Ergo actus meritorius debet esse liber libertate indifferentiæ, & non solum libertate spontaneitatis, seu immunitatis à coactione. Unde commune Theologorum proloquium est, desumptum ex Aristotele 3. Ethic. cap. 5. *Naturalibus neque meremur, neque demeremur.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Angelus in primo instanti meruit, & tamen in eo non erat perfectè liber. Similiter in Christo non fuit libertas indifferentiæ, & tamen in eo fuit perfectissimum meritum, ut docent Theologi 3. p. quæst. 19. Ergo ad meritum non requiritur libertas indifferentiæ, sed sufficit libertas à coactione. Unde S. Thomas in 3. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5. sic ait: *Etiamsi liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.*

Respondeo quod licet Angelus in primo instanti creationis non fuerit liber libertate specificacionis, seu contrarietatis ad bonum & malum, quia in illo instanti peccare non potuit, fuit tamen tunc liber libertate contradictionis, seu quoad exercitium, quod sufficit ad rationem meriti, ut in Tractatu de Angelis declaravimus. Idem dicendum de Christo: licet enim ille, ratione suæ impeccabilitatis, non esset liber libertate contrarietatis ad bonum & malum, erat tamen liber libertate contradictionis & exercitij. Unde S. Thomas loco citato solum intendit, quod et si liberam arbitrium Christi esset determinatum ad unum, scilicet ad dilectionem Dei quoad perfectiones necessarias, poterat tamen mereri, quia cum tali determinatione remanebat liber & indifferentens

Y

quantum ad exercitium, seu indifferentiam & libertate contradictionis, ad eandem dilectionem Dei, prout est ratio diligendi creaturas, ut in Tractatu de actibus humanis fuse exposuimus.

Disp. 2. art. 2.

18. Objicies secundo: Meritum ex divina acceptatione ad premium dependet, adeo ut dato quocumque opere perfectissimo, etiam libero, si Deus non acceptet illud ad vitam aeternam, non sit meritorium vitae aeternae: Sed Deus potest acceptare ad vitam aeternam non solum opera libera, sed etiam necessaria; ut patet in morte Sanctorum Innocentium, quam licet non liberam, sed necessariam, acceptavit Deus ad coronam martyrij: Ergo actus non liber, praesertim ordinis supernaturalis, potest esse meritorius.

19. Respondeo distinguendo Majorem: Meritum dependet ex divina acceptatione, tantum, negatur: ex divina acceptatione, & simul ex bonitate morali operis, quae libertatem indifferentiae supponit, concedo Majorem; & nego Minorem intellectam de acceptatione ad gloriam tanquam ad premium. Ad probationem in contrarium subjunctam, dico SS. Innocentes non habere propriam & simpliciter aureolam martyrij, subindeque nec ad eam proprie & simpliciter dici posse acceptatos, sed solum ad aliquam participationem ipsius (idque non tanquam ad premium) consistentem in gaudio, quod ex mera Dei liberalitate percipiunt, videndo se esse occisos in obsequium Christi: ob quam etiam duntaxat considerationem eos Ecclesia inter Martyres numerat; sicut illos numerat inter Virgines, ob carnis integritatem in qua mortui sunt, licet eorum virginitas, sive integritas, ad promerendam aureolam virginitatis non pervenerit, defectu usus rationis & libertatis. Solutio est D. Thomae in 4. dist. 49. quaest. 5. art. 3. quaest. unc. 2. ad 12.

20. Dico secundo: Ut actus sit meritorius apud Deum, debet esse moraliter bonus.

Ratio hujus conclusionis est, quia opus malum non est dignum premio, sed poena: opus vero indifferens vel nullum est in individuo, juxta probabilior sententiam, vel si opus indifferens in individuo admittatur, non est cur potius sit premium quam poena dignum; nam si non meretur poenam, quia caret malitia, etiam non meretur premium, quia caret bonitate: Ergo solus actus moraliter bonus potest esse meritorius apud Deum. Quod debet intelligi de bonitate plena & perfecta, ita ut ad hoc ut actus sit meritorius, debeat esse bonus ex objecto, & omnibus circumstantiis: Tum quia repugnat quod unus & idem actus sit bonus ex objecto, & malus ex circumstantiis, vel econtra, sed eo ipso quod male fit ex quocumque capite, simpliciter malus est, nullamque bonitatem moralem obtinet, ut in Tractatu de moralitate actuum humanorum docuimus: Tum etiam quia etsi daretur actum humanum posse esse simul bonum ex objecto, & malum ex circumstantiis, non esset tamen meritorius apud Deum; quia talis actus, bonus & malus simul, non posset placere Deo, neque esse objectum divinae dilectionis, ipsum ad premium acceptantis; *Mundi enim sunt oculi ejus, & ad malum respicere non potest*, ut dicitur Abacuc. 2. Unde de facientibus eleemosynam, aut jejunantibus ex vana gloria, dicit Christus Matth. 6. *Receperunt mercedem suam*. Et D. Gregorius homil. 12. in Evang. de parabola decem Virginum, haec scribit: *Compellor dicere, ut bona qua agitis, cum magna cau-*

Disp. 2. art. 1.

A *tela teneatis: ne per hoc quod a vobis rectum geritur, favor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subrepat: & quod foris ostenditur, intus a mercede vacuetur.*

Circa eandem conditionem addendum est, non sufficere ad rationem meriti beatitudinis supernaturalis, esse actum bonum quomodocumque, sed requiri ipsum esse ordinis supernaturalis. Ratio est, quia media ordinata ad consecutionem alicujus, debent esse ipsi proportionata: Sed meritum habet rationem medij in ordine ad consecutionem praemij: Ergo meritum beatitudinis supernaturalis debet esse supernaturale, ut servetur proportio. Sed de hoc fuis in fra dicitur, cum ostendimus ad meritum vitae aeternae requiri influxum aliquem, seu imperium charitatis.

B Dico tertio: Ut opus sit meritorium, debet fieri in obsequium alterius, illius scilicet qui mercedem sive premium redditurus est.

Probatur breviter: Cum meritum respiciat retributionem, oportet ut retributio expectetur, & debeatur a persona determinata; quod enim a nullo debetur, a nullo jure aliquo exigitur: Sed non debetur merces ab aliqua persona, nec ab ea jure exigi potest, nisi actio ad ipsam dirigatur, & in eius obsequium cedat: Ergo ut opus sit meritorium, debet fieri in obsequium alterius, & cedere in bonum, utilitatem, vel honorem illius, qui mercedem sive premium redditurus est. Et certe nullus petit ut expectat premium ab eo, ad quem actionem suam non dirigit, nec ipsa in eius obsequium vel honorem cedit. Unde S. Thomas supra quaest. 21. art. 3. ait: *Meritum & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quo fit secundum justitiam: retributio autem secundum justitiam fit alicui ex eo quod agit in profectum vel nocumentum alterius.*

C Quarunt hic aliqui, utrum ad meritum requiratur necessarii aliquis actus realis & positivus; vel omisso mali, sine aliquo actu positivo, possit esse meritoria?

Ratio dubitandi est primo: Quia peccatum aut demeritum potest esse absque omni actu, ut de peccato omissionis docent aliqui ex nostris Thomistis, & videtur insinuaré D. Thomas supra quaest. 71. art. 5. Ergo & meritum.

D Secundo: Quia si Deus praecipiat homini ut cesset ab omni actu, per talem cessationem homo obediet Deo, atque adeo merebitur: Ergo sine omni actu potest esse meritum.

E Tertio: Quia duae sunt partes universalis justitiae, scilicet facere bonum, & declinare a malo, teste D. Thomae 2. 2. quaest. 79. art. 1. & Aristotele 3. Ethic. cap. 5. Sed meritum respondet justitiae: Ergo tam in omissionem mali, quam in operatione boni, potest meritum inveniri. Unde Eccles. 31. laudatur & beatificatur ille, qui potest *transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*. Et additur: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. His tamen non obstantibus.

24. Dicendum est, ad meritum praemij apud Deum, requiri proprium & positivum actum voluntatis. Ita contra Recentiores aliquos communiter docent nostri Thomistae, cum Sancto Doctore supra quaest. 71. art. 5. ad 1. ubi sic discurre: *Plura requiruntur ad bonum quam ad malum, eo quod bonum contingit ex tota integra causa, malum vero ex singularibus defectibus, ut Dionysius dicit cap. 4. de divin. nomin. & ideo peccatum praestit*

contingere, siue aliquis faciat quod non debet. A
siue non faciendo quod debet: sed meritum non
potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie quod de-
bet; & ideo meritum non potest esse sine actu, sed
peccatum potest esse sine actu.

§. III.

Dua conditiones ex parte merentis
necessarie explicantur.

25. Confirmatur: Meritum apud Deum debet in
gloriam eius aliquo modo referri, quia, ut supra
ostendimus, de ratione meriti in communi est ut
sit in obsequium vel commodum eius, apud quem
est tale meritum: Sed pura carentia, siue omissio
actus mali, non refertur in gloriam Dei, neque
intrinsece, cum de se sit indifferens ad hoc ut be-
ne vel male appetatur; neque etiam ex ordinatio-
ne operantis, qui supponitur nullum habere
actum: Ergo non est meritoria apud Deum.

26. Confirmatur amplius: Per meritum homo ten-
dit in beatitudinem: Atqui per puram carentiam,
seu negationem actus, homo non potest tendere
in beatitudinem, sed ad summum ab illa non re-
cedere: Ergo illa non sufficit ad meritum, sed re-
quiritur necessario aliquis actus positivus, in quo
meritum fundetur. Unde

27. Ad primum respondeo, negando Antecedens:
ut enim ostendimus in Tractatu de peccatis, non
potest dari ommissio culpabilis sine actu procedente,
aut concomitante, qui sit causa, vel occasio
illius. Adde quod D. Thomas supra quest. 6. art.
3. docet ommissionem actus non esse indirecte ac
moraliter voluntariam, nisi quando homo potest
& tenetur aliquid facere, & sciens ac videns illud
non facit: hoc autem accidere quidem potest in
omissione bonorum actuum, non tamen in omis-
sione malorum: nam in bonis actibus potest sup-
poni potestas, & obligatio faciendi; in malis au-
tem, licet supponatur potestas, non potest sup-
poni obligatio; & ideo licet detur quod ommissio
boni actus possit esse voluntaria indirecte & mo-
raliter, absque omni actu eam procedente, aut
concomitante, subindeque demeritoria & pecca-
minosa; tamen ommissio mali actus non potest esse
ita voluntaria moraliter & indirecte, ut ad meri-
tum sufficiat, absque omni actu voluntatis, sed
oportet esse directe volitam per aliquem actum.

28. Ad secundum respondetur, quod in illa hypo-
thesi nullo modo mereretur homo, vel Angelus,
cessando ab omni actu, sed solum vitaret pecca-
tum, quod alioquin eliciendo aliquem actum
committeret: nisi supponatur quod saltem ei per-
mitteret Deus elicere actum interiorem, quo ab
omni alio actu cessare vellet: in eo enim casu me-
reretur.

29. Ad tertium dicendum cum D. Thoma loco in
objectione citato in resp. ad 2. quod *declinare à
malo, secundum quod ponitur pars iustitia, non
importat negationem puram, quod est non facere
malum: hoc enim non meretur palmam, sed solum
vitat penam. Importat autem motum voluntatis
repudiantis malum, ut ipsum nomen declinatio-
nis ostendit. Et hoc est meritorium, precipue quan-
do aliquis impugnat, ut malum faciat, & resi-
sit. Unde quando in Scriptura laudatur iustus,
qui potuit transgredi, & non est transgressus, non
laudatur præcisè propter non transgressionem le-
gis, negativè sumptam, & quatenus est pura ca-
rentia, sed propter voluntatem quam habet obe-
diendi Deo in non transgrediendo legem eius.*



Tom. IV.

Dico quarto: Ad actum meritorium vitæ æter-
næ requiritur gratia in merente, non solum
in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu naturæ
integræ. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi ait quod
hominis sine gratia duplex status considerari po-
test: unus quidem naturæ integræ, qualis fuit in
Adam ante peccatum: alius autem naturæ corruptæ,
sicut est in nobis ante reparationem gratiæ.
Et subdit, quod homo in primo statu non potest
mereri vitam æternam sine gratia, propter unam
rationem: quia sine illa eius actus non ordinantur
divinitus ad vitam æternam; cum per divinam
providentiam non ordinentur actus creaturæ ad
ea quæ excedunt proportionem principij ipso-
rum actuum, qualis est vita æterna, quæ excedit
etiam cognitionem creatam, juxta illud Apostoli
1. ad Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris au-
divit, nec in cor hominis ascendit &c.* In secun-
do vero statu, non solum propter hanc rationem
non potest homo sine gratia mereri vitam æter-
nam, sed ulterius propter impedimentum pecca-
ti, quod cum sit quadam Dei offensa, reddit ho-
minem Deo invisum & exosum: unde nihil potest
apud ipsum mereri, nisi prius illi reconcilietur, ei-
que gratus & acceptus reddatur per gratiam justi-
ficantem. Quare gratia in homine existente in sta-
tu naturæ integræ, unum tantum facit; elevat sci-
licet hominem ad Divinorum participationem: in
homine vero lapsio in peccatum personale, vel ori-
ginale, duo præstat: in primis enim sanat, & re-
conciliat hominem Deo; deinde elevat eum ad
meritorie operandum. Unde ad Roman. 9. gratia
dicitur *vita æterna*: quia clara Dei visio, quæ est
vita æterna, in gratia sanctificante, ut fructus in
semine continetur. Et Joan. 4. vocatur *Fons aque
salientis in vitam æternam*: quia connaturaliter
tendit in vitam æternam, quæ est ejus consumma-
tio & ultima perfectio, & opera iustorum per me-
ritum de condigno ad ipsam elevat, & perducit.
Hinc opera omnia, etiam supernaturalia, quæ sine
gratia habituali fiunt, mortua vocantur: quia cum
per gratiam non vivificentur, etiam non possunt
vitam æternam apud Deum mereri. Hinc etiam
Dionysius de Eccles. Hierarc. cap. 2. ait hominem
non posse facere divina, nisi prius ipse divinus
efficiatur: & Augustinus, lib. 1. contra duas Epist.
Pelag. cap. 2. docet homines non rectè vivere (in
ordine scilicet ad beatitudinem, & vitam æter-
nam) nisi effecti sint filij Dei per gratiam sancti-
ficantem. Hinc denique Tridentinum sess. 6. cap.
16. hæc habet: *Christus Iesus tanquam caput in
membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos
justificatos jugiter virtutem influit: que virtus bo-
na eorum opera semper antecedit, & comitatur,
& subsequitur: & sine qua nullo pacto Deo gratia
& meritoria esse possent.*

Dico quinto: Ad meritum ex parte merentis de
lege ordinaria requiritur status viatoris, id est
quod homo ambulet per fidem, & non per cla-
ram visionem, & in corpore mortali & passibi-
li existat. Ita D. Thomas 1. 2. quest. 13. art. 4. ad
2. ubi sic habet: *Mereri & demereri pertinet ad
statum viæ.*

Colligitur etiam ex Scripturæ locis, in quibus
dicitur iudicandos esse homines, & accepturos
Y ij

præmium vel pœnam, secundum opera quæ in corpore fecerunt: 2. ad Corinth. 6. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* Item ex alijs, in quibus momentur homines operari, quando dies est, & antequam nox adveniat: Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox: quando nemo potest operari:* nam ibi per diem tempus præsentis vitæ intelligitur; per noctem verò mors, seu status post mortem, in quo nemo potest meritorie operari. Unde Ecclesiastes 9. dicitur: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ubi D. Hieronymus: *Mortui (inquit) nihil valent ad id adicere, quod semel secum tulere de vita &c. neque expectant aliquam retributionem atque mercedem, ultra eam scilicet quam in hoc corpore meruerunt.* Et apud Prosperum est sententia Augustini 172. *Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit.* Denique Ecclesiastici 11. dicitur: *Ubi ceciderit lignum, ibi manebit.* In quibus verbis per casum ligni mors hominis designatur, & per ejus immobilitatem & permanentiam, meritum vel demeritum hominis in alia vita non augeri vel minui declaratur.

32. Hujus conditionis nullam aliam existimo assignari posse rationem, quàm divinam voluntatem, quæ disposuit & ordinavit dare præmium operibus vitæ, non autem illis quæ post viam fiunt; nam si solum naturam operum consideremus, non minus videntur meritoria opera patriæ, quàm vitæ, cum in patria sint actiones liberæ, & quæ magis Deo placent, & à majori charitate procedunt. Quamvis enim ipsa Dei dilectio in patria sit necessaria, & non libera, plures tamen aliæ actiones liberè fiunt circa media, quæ non habent necessariam connexionem cum dilectione Dei. Adde quod status vitæ non potest ex sola rei natura definiti, sed ex consilio & ordinatione divina dependet; sicut currentibus in stadio tempus cursus & certaminis dependet ab ordinatione & determinatione Principis, vel Republicæ, præmia proponentis. Quo exemplo ad id explicandum utitur Apostolus 1. ad Corinth. 9.

33. Valdè tamen consentaneè ad naturam hominis præfixus est terminus vitæ in puncto mortis, & dissolutionis animæ à corpore: quia connaturale est animæ humanæ, ut mediante corpore suam perfectionem acquirat; & in illo plures habet occasiones merendi, & pugnandi pro bravio beatitudinis comparando. Congruum est etiam, ut creaturæ intellectuales per fidem ad visionem perveniant, & prius intellectum Deo submittant, quàm ad illum videndum eleventur. Unde ad statum vitæ, in quo solum est meritum, duo de via ordinaria requiruntur, scilicet fides, & existentia in corpore: de potentia tamen extraordinaria status vitæ cum clara Dei visione stare potest: ut patet in Christo, qui à primo instanti suæ conceptionis fuit simul viator & comprehensor; unde ejus meritum non potuit in fide fundari, sicut nostrum, sed in altiori genere cognitionis, nempe scientia infusa, aut clara Dei visione, ad Deum, ut est ratio diligendi creaturas, terminata: de quo in Tractatu de Incarnatione. Similiter quamvis respectu beatitudinis adeptæ & possessæ repugnet ab intrinseco dari meritum; quia cum meritum se habeat ad præmium, ut

Disp. 22.
art. 2.
§. 1.

A via ad terminum, est ejus quod nondum habetur, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 19. art. 3. ex quo ibidem inferit, quod Christus nec gratiam, nec scientiam infusam, nec beatitudinem animæ, nec unionem hypostaticam meruit, quia hæc omnia habuit à primo instanti conceptionis: non repugnat tamen de potentia absoluta, quod etiam in termino adeptæ beatitudinis mereatur aliquis ulteriorem gradum, & augmentum illius, vel aliqua præmia accidentalitæ; quia licet sit in termino respectu primæ beatitudinis adeptæ, potest tamen esse in via ad ulteriorem gradum, qui illi deest, vel ad aliquod præmium accidentale quo caret. Sicut Christus, quamvis à primo instanti suæ conceptionis esset beatus quantum ad animam, meruit tamen gloriam corporis, & ejus immortalitatem, aliasque dotes gloriosas.

B *Dixi de potentia absoluta: quia cum beatitudo sit ex sua natura immutabilis, & mensuretur æternitate participatâ, non est conveniens ut semel obtenta, ulterius augeatur, aut minuat, & quod beati præmia aliqua accidentalitæ de novo mereantur, ut docet D. Thomas 1. p. quæst. 61. art. 9. ad 3. ubi loquens de Angelis beatis, sic ait: *Quidam dicunt quod quantum ad præmium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est ut dicatur, quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator & comprehensor, ut Christus, qui solus fuit viator & comprehensor: prædictum enim gaudium (de salute eorum qui per ipsorum ministerium salvantur) magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur.**

§. IV.

Corollarium notatu dignum.

E X dictis sequitur, valdè incertum esse ac dubium, an Enoch & Elias in paradiso terrestri degentes, de facto mereantur; quibusdam id affirmantibus, alijs verò negantibus.

D Ratio autem pro parte affirmativa est: Tum quia prædicti Sancti videntur habere omnes conditiones ad meritum requisitas, tam ex parte personæ merentis, cum sint in statu gratiæ, & vitæ, quàm ex parte ipsius actus meritorij, cum eorum operationes sint liberæ, bonæ, bonitate etiam supernaturali, & in obsequium Dei factæ: Tum etiam quia non convenit divinæ bonitati, imò indignum videtur divinæ munificentiæ, illos sanctissimos viros miraculosè tanto tempore in hac vita detinere, & sine fructu metiti eos visione beatificâ tandiu privare.

E Pro parte verò negativa militat magnum inconveniens, quod videretur sequi ex sententia affirmante, nempe gratiam & charitatem Eliæ & Enoch esse superiorem, & majorem, seu intensiorem gratiâ D. Joannis Baptistæ, & Apostolorum; quia in tot annorum curriculis continuò mereri, auget gratiam & charitatem, quasi in infinitum.

Nec valet quod aliqui dicunt ad vitandum hoc inconveniens, nimirum quod licet Enoch & Elias continuò mereantur, quia tamen carent carnis rebellionem, operandique difficultate, tam exiguum est illorum meritum, ut nunquam intensiores, vel æquè intensos actus charitatis eliciant, quàm D. Joannes Baptista, & Apostoli, subindeque ad eorum gratiam & gloriam nunquam perveniant.

Non valet, inquam, hæc responsio: absurdum enim videtur dicere, illos sanctissimos viros, si mereri possunt secundum communes regulas aliorum viatorum, in tam longo tempore parùm mereri, ideo solum quia rebellionem carnis, operandique difficultatem non sentiunt, quasi excellentia meriti, vel omnino, vel præcipue ex his circumstantijs oriatur. Sic enim colligere posset aliquis, meritum B. Virginis non fuisse excellentissimum, quia nec fomitem, nec difficultatem in opere virtutis ex parte corporis sentiebat, sed solum illam quæ in unoquoque opere virtutis ex objecto inerat.

Deinde ad excellentiam meriti sufficit excellentia amoris, & promptitudo voluntatis, quæ in illis Sanctissimis viris maxima est: Ergo etiam maximum & excellentissimum debet esse illorum meritum, supposito quod in illo statu mereantur. Unde non video quâ probabilitate dici possit, illos mereri continuo augmentum charitatis, diligendo Deum, & nihilominus nunquam perventuros ad eam perfectionem charitatis, in qua possint tam intensè ipsùm diligere, quam D. Joannes Baptista & Apostoli in via potuerunt: nam totum augmentum charitatis quod mereantur, statim illis datur, & semper diligunt quantum per charitatem habitualement possunt, quia sine difficultate vel repugnantia amant: Ergo incredibile est, quod semper habituri sint actus charitatis ita remissos, ut nulli eorum actibus charitatis, à D. Joanne & Apostolis elicitis, æquivalere possint.

Quare unum ex his necessariò dicendum existimo, nempe vel illos sanctos viros, ab eo tempore quo in paradysum terrestrem translati sunt, non mereri, quia licet mortales sint, non sunt tamen conditionibus mortalitatis subiecti, sicut alij homines, qui lege & modo communi in corpore mortali vivunt, subindeque nec sunt propriè viatores, sed quasi medij inter viatores & comprehensores, & veluti æternitatis candidati, ut ait Tertullianus lib. de resurrect. carnis. Vel si ab eo tempore mereantur, eorumque meritum duret usque ad illorum mortem, quam pro Christo in fine mundi patientur, eos tunc in gratia & charitate æquaturos ipsos Apostolos, & Joannem Baptistam, subindeque in gloria & beatitudine pares illis futuros. Nec mirum, cum ipsi futuri sint secundi Christi adventus præcursores, Apostoli, nec non Martyres ejus gloriosi, qui (ut loquitur idem Tertullianus) *Antichristum sanguine suo extinguent*. Quid horum probabilius & verisimilius sit, prudens Lector judicabit.

ARTICVLVS III.

An ad meritum de condigno apud Deum requiratur ex parte ipsius Dei ordinatio operis ad præmium, & an illa debeat esse extrinseca, vel sufficiat intrinseca, in voluntate conferendi gratiam ut principium meriti inclusa?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

37. **S**uppono primò: quod licet apud homines requiratur promissio, pactum, ordinatio, vel acceptatio, ut meritum obliget de toto rigore justitiæ retribuentem, non tamen ut meritum di-

Tom. IV.

A catur condignum præmio, aut de condigno mereri præmium: nam apud homines, ut meritum dicatur condignum præmio, solum requiritur quod sit relatum ad alterum, & in bonum illius, ut constat ex D. Thoma supra quæst. 21. art. 3. ubi ad rationem meriti erga homines, nullum requirit pactum, promissionem, aut contractum. Ratio etiam suffragatur: nam ad meritum de condigno solum requiritur jus ad præmium, juxta leges justitiæ distributiæ, non tamen commutativæ: Sed ad jus ad præmium, juxta leges justitiæ distributiæ, non requiritur apud homines promissio, acceptatio, vel ordinatio; nam superior distributor ante omne pactum, promissionem, vel acceptationem, tenetur respicere, & cognoscere cõdignitatem omnium eorum, quibus præmia distribuenda sunt, & talia præmia juxta proportionem meritorum ipsis distribuere: Ergo ad meritum de condigno apud homines non requiritur promissio, pactum, ordinatio, vel acceptatio: unde solum hîc loquimur de condignitate meriti apud Deum.

38. **S**uppono secundo, ordinationem sive acceptationem operis meritorij ad præmium, aliam esse intrinsecam, quæ includitur in voluntate conferendi gratiam tanquam principium merendi; aliam verò extrinsecam, quæ consistit in actu positivo Dei libero, quo promittit beatitudinem gloriæ æternæ pro operibus supernaturalibus, à gratia & charitate procedentibus.

C Suppono tertio, dupliciter posse concipi, quòd requiratur promissio Dei, vel divina ordinatio ad meritum, nimirum vel tanquam ratio formalis illud constituens, vel solum ut conditio ad ejus complementum requisita. His præmissis.

39. **C**irca propositam difficultatem tres versantur Theologorum sententiæ. Prima tenet meritum hominis apud Deum esse posse absque ordinatione divina ad præmium, tam intrinseca, seu inclusa in voluntate dandi principium merendi, quàm extrinseca & isti superaddita, ac in promissione sive pacto consistente. Ita docere videntur Vazquez, Merattus, & alij ex Recentioribus.

D Secunda affirmat ordinationem intrinsecam, & promissionem extrinsecam Dei, ad meritum de condigno hominis apud Deum requiri. Ita Scotus, Nominales, Suarez, Bellarminus, & alij plures, quos sequitur Aravius hîc dubio 3. In hoc tamen isti differunt à Scoto & Nominabilibus, quòd illi volunt meritum de condigno hominis ad Deum constitui formaliter in sua specie per promissionem, seu ordinationem extrinsecam Dei, tanquam per rationem formalem: Suarez verò, & alij, eam duntaxat tanquam conditionem, meritum de condigno complementem, requirunt.

E Tertia sententia, quæ est communis in schola D. Thomæ, asserit ad meritum de condigno hominis apud Deum, requiri quidem divinam ordinationem operis ad præmium; eam tamen quæ extrinseca dicitur, & quæ in pacto vel promissione consistit, necessariam non esse, nec ad rationem formalem meriti, nec ad ejus complementum, sed sufficere illam quæ includitur in voluntate dandi gratiam ut principium merendi. Ita Cajetanus, Conradus, Soto, Marcus à Serra, & alij.

§. II.

Prima sententia rejicitur.

40. **D**ico primò: ad meritum de condigno apud Deum, aliqua ordinatio divina operis ad præmium necessaria est. Ita D. Thomas hic art. 1. dicens: *Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis.*

Colligitur etiam ex Scriptura: nam Matth. 20. in parabola conductorum ad laborandum in vinea dicitur: *Conventione autem factâ cum operarijs ex denario diurno &c.* Ubi nomine denarij diurni, communiter Patres intelligunt præmium beatitudinis, ut videri potest apud D. Thomam in catena aurea, super hunc locum Matthæi; & nomine *conventionis* significatur ordinatio divina, ut ibidem advertit Cajetanus, & docet Concilium Senonense in decreto fidei cap. 16.

41. Ratio etiam suffragatur: Primò quia Deus non est capax alicujus obligationis, secundum veram & strictam justitiam, nisi ex ordinatione sua, ut D. Thomas docet hic art. 1. & 2. Ergo ut actio hominis erga Deum inducat aliquod jus retribuendi præmium, indiget aliquâ Dei ordinatione.

Secundò: Cùm opera nostra sint pluribus titulis Deo debita, si Deus ea non ordinaret & acceptaret ad præmium, nullum homo posset jus habere ad illud, nec subinde infallibiliter illud assequi; posset enim Deus opera nostra libera & bona acceptare ad satisfactionem pro alijs titulis sibi debitjs, puta pro titulo creationis, vel supremi dominij quod habet in omnes creaturas: Ergo ut homo possit apud Deum mereri de condigno aliquod præmium, & infallibiliter illud assequi, necessarium omnino est, quod Deus ad meritum ordinat opera ejus.

Tertiò: Si ad meritum apud Deum necessaria non esset divina ordinatio operis ad præmium, opera bona & libera beatorum essent de facto meritoria augmenti suæ beatitudinis, etiam essentialis: Sed hoc non est dicendum, ut vidimus articulo præcedenti: Ergo nec illud. Sequela probatur: Opera libera, & facta ex gratia, non minorem habent in beatis valorem & dignitatem, quàm habeant in viatoribus: Ergo nihil ipsis deesse videtur ad meritum, nisi divina ordinatio ad præmium.

42. Dices cum Vazque, non ex defectu divinæ ordinationis, sed ex defectu status viæ provenire, quòd opera libera beatorum non sint meritoria.

Sed contra: Status viæ solâ Dei ordinatione constat, qui voluit tempore duntaxat hujus vitæ, & ejus actibus, inesse meritum; potuisset enim, si voluisset, etiam ordinare quòd ipsi beati, quamvis in termino respectu suæ beatitudinis essentialis, & gradûs quem possident, essent tamen adhuc in viâ & tendentia ad ulteriorem gradum quem non habent, ut articulo præcedenti dicebamus: Ergo non ex defectu status viæ, sed potius ex defectu divinæ ordinationis, provenit quòd opera libera beatorum meritoria non sint.

43. Denique suaderi potest conclusio: Potest Deus pro suo beneplacito, aut in pœnam peccati commissi, facere ut gratia quam communicat alicui in hac vita, non sit principium meriti, sed eo mo-

A do se habeat quo gratia justorum in Purgatorio: At tunc opera procedentia à tali gratia, non essent meritoria, & hoc solum ex defectu divinæ ordinationis: Ergo hæc ad meritum apud Deum necessariò requiritur.

§. III.

Diluuntur argumenta adversa sententiæ.

44. **C**ontra hanc conclusionem objicitur primò: D. Thomas supra quæst. 21. art. 4. docet actum humanum, in quantum est bonus vel malus, habere rationem meriti vel demeriti apud Deum: Sed esse bonum ipsi competit absque ordinatione Dei ad præmium: Ergo & esse meritorium.

45. **B** Secundò: Ut actus malus sit meritorius pœnæ, non requiritur divina ordinatio; nam qui peccat, sine alia ordinatione vel pacto Dei, pœnam meretur: Ergo similiter ut actus bonus sit meritorius præmij apud Deum, non erit necessaria aliqua ipsius ordinatio, sed hoc ipso quòd est bonus, est præmio dignus, & jus habet ad illud.

46. **T**ertiò: Opus esse meritorium gloriæ aeternæ apud Deum, nihil aliud est quam esse dignum apud ipsum tali gloriâ: Sed ut habens gratiam sit dignus gloriâ, non requiritur ipsius gratiæ ordinatio ad gloriâ; illa enim ordinatio non tribuit, sed supponit talem dignitatem in gratia: Ergo ut opus aliquod sit meritorium gloriæ aeternæ apud Deum, non requiritur quòd sit ordinatum ad gloriâ tanquam ad præmium, sed sufficit quòd sit informatum gratiâ & charitate.

47. **Q**uartò: Ad meritum apud homines non requiritur, quòd ille cuius est mercedem retribuere, ordinet opus alterius ad tale præmium: si quis enim laboret in vinea alterius, etiam ipso ignorante, dummodo non contradicat, meretur apud ipsum: Ergo idem dicendum est de merito apud Deum.

48. **D**enique si necessaria esset divina ordinatio, ut opera justorum completam haberent rationem meriti, sequeretur quòd multa justorum bona opera suo frustrarentur præmio: nam ex una parte deberet ipsis innotescere talis ordinatio, cùm inter merentem & præmiantem, seu retribuentem, sit veluti quidam contractus, & contractus cum omnibus suis conditionibus innotescere debeat utrique parti; ex alia verò multi, præsertim rudes, illam ignorant ordinationem: Ergo &c.

49. **A**d primùm respondeo D. Thomam loco citato solum velle actum humanum, in quantum est bonus, habere rationem meriti apud Deum, si adsint reliquæ conditiones ad meritum requisitæ, inter quas numeratur divina ordinatio operis ad præmium, sicut & status viatoris: unde sicut actus bonus non est meritorius vitæ aeternæ, nisi sit à viatore elicitus; ita nec illam de condigno mereretur, si Deus illum non ordinaret ad præmium, sed alijs titulis sibi debitjs acceptaret.

50. **A**d secundum respondeo primò negando Antecedens: nam etiam actus malus non est meritorius pœnæ, sine Dei ordinatione; unde solum ob defectum talis ordinationis, peccata quæ de novo damnati committunt, non sunt meritoria alicujus pœnæ, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 13. art. 4. ad 4.

Respondeo secundò, dato Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est, quia offendens ipsa sua offensione diminuit jus vel honorem alterius; unde hoc ipso, sine alio pacto & ordinatione, nascitur in ipso læso jus contra offendentem, ut ei satisfaciat: at verò hoc ipso quod merens facit actum bonum, non accrescit aliquid Deo in cuius obsequium facit, juxta illud Job. 35. *Si justè egeris, quid donabis ei. aut quid de manu tua recipiet?* Præsertim cum tale opus multis alijs titulis Deo sit debitum, unde ex ipso solo non nascitur jus erga Deum, nec in ipso Deo resultat obligatio ad recompensandum, nisi aliqua ejus ordinatio interveniat, per quam tale opus ad vitam æternam ut ad præmium ordinat seu referat. Unde

44.
45.
51. Ad tertium nego Majorem: actus enim liberi Beatorum sunt ex se & intrinsicè digni augmenti gloriæ, etiam essentialis, & tamen de facto non merentur tale augmentum, defectu ordinationis, divinæ eorum ad tale præmium.

46.
47.
48. Ad quartum, concessò Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: cum enim in humanis supremi etiam Principes subjiciantur legi naturali, ad distribuendum dignè præmia; & omnia quæ sunt in ipsorum obsequium, non sint aliàs ipsis debita; per bona opera & virtuosa inducitur jus meriti apud ipsos, absque ullo pacto & ordinatione illorum. Econtra verò, quia omnia nostra opera sunt debita Deo titulo religionis, gratitudinis &c. ipseque nullam habet legem supra se; ad hoc ut homo habeat jus ad præmium, & in Deo nascatur obligatio illud retribuendi, requiritur quòd ipse Deus bona ipsius opera, à gratia & charitate informata, ordinat ad præmium vitæ æternæ.

49.
50.
53. Ad ultimum nego sequelam Majoris: nam talis ordinatio innotescit hominibus, hoc ipso quod eis innotescit sibi proponi in præmium vitam æternam: quod omni qui justificatur innotescit, cum sit simpliciter necessarium ad salutem, credere de Deo quia est, & quia remunerator est, ut dicitur ad Heb. 11.

§. IV.

Refellitur secunda sententia, & tertia statuitur, & explicatur.

54. Dico secundò: Meritum de condigno hominis ad Deum non constituitur essentialiter in sua specie per promissionem, seu ordinationem extrinsecam Dei, tanquam per rationem formalem. Ita communiter docent Theologi, contra Scotum, & Nominales.

49.
50.
55. Probatur primò: Illud constituit formaliter meritum de condigno, quod dat operibus nostris valorem condignum præmio vitæ æternæ: Atqui promissio & ordinatio Dei extrinseca non dat operibus nostris dignitatem, & valorem condignum, seu æqualem præmio vitæ æternæ; sed potius illum supponit datum à gratia sanctificante, quæ est ejusdem ordinis & perfectio- nis cum gloria, eamque per modum seminis seu radicis continet, juxta illud Apostoli ad Roman. 6. *Gratia Dei, vita æterna*: Ergo promissio seu ordinatio Dei extrinseca, non est ratio formalis constitutiva meriti de condigno vitæ æternæ.

Confirmatur: Promissio Dei, ejusque ordina-

56. A tio extrinseca, non mutat naturam operis: Ergo non potest dare valorem operi, non habenti ex se condignitatem cum præmio, subindeque nec constituere illud formaliter meritum præmij; sicut comminatio Dei extrinseca non dat peccatis, quòd sint meritoria pœnæ æternæ. Addo quod hæc sententia videtur affinis errori hereticorum, qui negant opera justorum ullam habere in se dignitatem & valorem, sed asserunt ei advenire ab extrinseca Dei acceptatione.

56. Probatur secundò: Incarnatio Verbi Divini fuit promissa antiquis Patribus, & tamen propterea illam non meruerunt de condigno. Item remissio peccatorum promittitur verè pœnitentibus, qui tamen illam de condigno non merentur: Ergo meritum de condigno hominis ad Deum, non constituitur per promissionem, seu ordinationem Dei extrinsecam, tanquam per rationem formalem.

57. Probatur tertio: Si sola extrinseca Dei promissio esset ratio formalis constitutiva meriti de condigno apud Deum, sequeretur actus virtutum acquiratarum ordinis naturalis, imò & actus indifferentes in individuo, quos admittit Scotus, posse esse merita verè & propriè de condigno beatitudinis supernaturalis, eodem modo sicut & actus ordinis supernaturalis: Consequens est falsum: Ergo & Antecedens. Sequela Majoris probatur: Deus pro sua libertate potest ordinare tales actus ad beatitudinem supernaturalem, eamque promittere ipsos elicientibus: Ergo si promissio Dei, ejusque ordinatio extrinseca, sit ratio formalis constitutiva meriti de condigno vitæ æternæ, illi actus poterunt esse merita de condigno beatitudinis supernaturalis; posito enim constitutivo formali alicujus essentialis, manet essentia rei formaliter constituta. Hoc autem magis videtur absurdum, quàm si diceretur, quod si Rex promitteret filiam suam, regni hæredem, ei qui primò colligeret paleam, rusticus eam primò colligans, filiam Regis, regnumque ejus de condigno mereretur: minor enim est adhuc proportio inter opus naturale & vitam æternam, quàm inter actum quemcumque vilissimum, & filia Regis, regni que ejus possessionem.

58. Dico tertio: Ordinatio Dei extrinseca, in pacto vel promissione consistens, non est necessaria ad completam rationem meriti, seu tanquam conditio meritum de condigno complens; sed ad illud sufficit ordinatio Dei intrinseca, quæ includitur in voluntate dandi gratiam ut principium merendi.

58. Est contra Suarez, Araviu, & alios Auctores secundæ sententiæ. Est tamen D. Thomæ hic art. 1. dicens: *Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis; ita scilicet ut id homo consequatur à Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit. Sicut etiam res naturales hoc consequuntur per suos proprios motus & operationes, ad quod à Deo sunt ordinata; differenter tamen, quia creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium; unde sua actio habet rationem meriti: quod non est in alijs creaturis.* Quibus verbis S. Thomas non aliam Dei ordinationem ad meritum vitæ æternæ requirit, quàm eam quæ fit per communicationem principij operis meritorij, quod est gratia non consummata, collata viatori; quæ ordinatio intrinseca

- est, & in voluntate dandi gratiam ut principium meriti inclusa.
59. Confirmatur, & magis declaratur mens hujus S. Doctoris: Eam ordinationem requirit S. Thomas ut sufficientem ad meritum de condigno, quæ est ejusdem rationis cum ordinatione, quæ Deus dirigit res naturales ad consecutionem finis sibi connaturalis: Sed hæc est intrinseca: Ergo ex D. Thoma ordinatio requisita ad rationem meriti de condigno est sola intrinseca. Major patet ex verbis jam adductis: Minor etiam est manifesta. Nam res naturales non aliter moventur ad suos fines, quam per collationem virtutum activarum, quibus acquiritur finis, & per applicationem talium virtutum ad operandum: Sed hæc dicunt ordinationem intrinsecam, ut constat: Ergo ordinatio quæ Deus dirigit res naturales ad consecutionem sui finis, intrinseca est.
60. Potest etiam conclusio ratione suaderi. Si ad completam rationem meriti requireretur ex parte Dei, præter ordinationem ad præmium, inclusam in voluntate conferendi gratiam, tanquam principium merendi, aliqua promissio divina, vel aliquod pactum, eò esset ut Deus fieret debitor, & obligaretur reddere mercedem: Atqui ad hoc non requiritur pactum vel promissio, sed sufficit ordinatio ad præmium, inclusa in voluntate dandi gratiam ut principium meriti: Ergo &c. Major est præcipuum fundamentum doctrinæ Adversariorum, existimantium Deum non posse fieri debitorem, neque obligari ad reddendum præmium, vel mercedem, nisi ex pacto, vel promissione. Minor verò probatur: supposita ordinatione ad præmium, inclusa in voluntate dandi gratiam, tanquam principium meriti, æquæ Deus est debitor, & obligatus ad præmiandum bona nostra opera, ac supposita ejus promissione; sicut enim præsupposita suâ promissione est debitor, non quidem nobis, sed sibi, ad eam implendam; ita præsupposita ordinatione gratiæ ad meritum, per modum principij ipsius, debet talem ordinationem implere: cum autem talis ordinatio necessario includat, vel supponat voluntatem dandi gloriam bonis operibus hominis, ex gratia elicitis, tanquam meritorij ipsius, impossibile est quod impleatur, nisi qui ex gratia bene operatur, & gloriam meretur, infallibiliter eam assequatur, si tamen perseveret finaliter in tali merito, & illud per peccatum non interrumpatur.
61. Confirmatur primò: Ut Deus obligetur ad reddendum aliquid per modum præmij, sufficit quod ipsum dare decernat, & apud se statuat; æquæ enim obligatur Deus ad ea quæ semel decrevit, atque ad illa quæ promissit: Sed eo ipso quod Deus habet voluntatem dandi gratiam, tanquam principium meriti gloriæ æternæ, decernit & apud se statuit illam dare per modum præmij: Ergo obligatur consequenter ad eam sic reddendam.
62. Confirmatur secundò: Ideò promissio divina inducit in Deo debitum non solum fidelitatis, sed etiam justitiæ, non quidem commutativæ, sed distributivæ, ad reddendam bonis nostris operibus gloriam per modum præmij, quia conditionem nobis onerosam includit, videlicet laborem & tolerantiam in exercitio bonorum operum: Sed hoc idem importat ordinatio gratiæ per modum principij totius nostri meriti ad eandem gloriam ut præmium: Ergo etiam inducit obligationem justitiæ distributivæ ad reddendum bonis nostris operibus gloriam per modum præmij.
- A Probatur tertio conclusio: Meritum respectu præmij se habet sicut motus & via respectu termini, cum sit tendentia ad illud; vel sicut medium respectu finis, quia sicut medium causat finem in genere causæ efficientis, ita meritum movet voluntatem retribuētis, in genere causæ efficientis moralis, & præmium verè & propriè obtinet rationem finis: Sed motus & via ex principijs intrinsecis, & absque omni ordinatione extrinseca, respicit terminum; sicut & medium respicit finem ad quem connaturaliter ordinatur: Ergo meritum de condigno vitæ æternæ, seclusa quacumque promissione, & ordinatione Dei extrinsecâ, connaturaliter eam respicit per modum præmij, eo ipso quod procedit à gratia sanctificante, quæ est veluti semen gloriæ, & radix visionis beatificæ, ac fons aquæ salientis in vitam æternam, ut dicitur Joan. 4. subindeque ad tale meritum non requiritur necessario ordinatio Dei extrinseca, in pacto vel promissione consistens, sed sufficit ordinatio Dei intrinseca, quæ in collatione seu infusione gratiæ sanctificantis ut principij merendi includitur.
- B Ex his intelliges quod infusio gratiæ habitualis, est ordinatio in vitam æternam, ut hæreditatem quidem, quatenus collatio est gratiæ absolute; ut præmium verò, mercedem, & coronam, quatenus est collatio gratiæ ut principij merendi: quæ duæ rationes sic se habent, ut licet secunda non possit esse sine prima, ista tamen sine illa esse possit; si Deus scilicet pro suo beneplacito veller ac decerneret, ut gratia, quæ aliquem constituit filium suum adoptivum, non esset principium meriti, sed eodem modo se haberet, quo gratia quam habent animæ justorum in Purgatorio.
- C
- D
- E

§. V.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra secundam conclusionem: Opera quantumvis perfecta, sancta, & bona, de se sunt improporcionata respectu beatitudinis: Ergo suum desumunt valorem ex divina acceptatione, promissione, vel pacto, subindeque ab illo in ratione meriti de condigno formaliter constituuntur. Consequentia patet: Meritum enim de condigno consistit in condignitate seu proportionate operis cum præmio: Ergo si talis condignitas seu proportio à divina promissione sumatur, per illam, tanquam per rationem formalem, opera nostra bona redduntur meritoria de condigno vitæ æternæ. Antecedens verò probatur: Justorum opera, quantumvis perfecta & sancta, sunt finita & limitata; beatitudo verò objectiva, quæ est ipse Deus, est infinita & illimitata, subindeque in infinitum illa opera excedit: Ergo opera nostra, quantumvis perfecta, sancta, & bona, de se sunt improporcionata respectu beatitudinis.

Respondeo negando Antecedens. Ad cujus probationem dico, quod licet beatitudo objectiva, quæ est præmium nostrorum operum, sit in se infinita, tamen finito modo communicatur; est enim Deus ipse, ut stat sub beatitudine formali, quæ est actus intellectus creati, & ita non excedit in infinitum meritum quod est actus charitatis; præsertim cum objectum charitatis in via sit Deus ut in se est, qui est infinitus. Adde quod, dato quod præmium nostrorum operum sit infinitum, adhuc tamen inter illa reperitur proportio,

63. tio, non quidem æqualitatis, sed connaturalitatis: quia cum gratia, à qua bona nostra opera procedunt, & per quam informantur, sit semen gloriæ, & radix visionis beatificæ, connaturaliter tendit in illam, tanquam in finem & consummationem; unde, ut supra dicebamus, gratia in Scriptura vocatur *fons aque salientis in vitam æternam*.

67. Objicies secundò: Illa est ratio formalis alicujus rei, quæ posita ponitur res, & quæ ablata aufertur: Sed promissio Dei, vel pactum, est hujusmodi respectu meriti: Ergo est ratio formalis constitutiva illius. Major patet. Minor probatur. Opera animarum purgatorij, & earum quæ sunt in cælo, à gratia procedunt, & tamen meritoria non sunt, defectu promissionis & pacti; si autem pactum poneretur, meritoria essent: Ergo posito pacto, ponitur meritum, & eo ablato, aufertur.

68. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: si enim opera nostra non haberent condignitatem seu proportionem cum præmio, nec essent ejusdem ordinis, sed inferioris, non mereantur illud de condigno, quamvis adesset promissio Dei, vel pactum, quo se obstringeret ad illud conferendum: unde in tali condignitate, seu proportionem operis ad præmium, meritum de condigno formaliter consistit, non verò in pacto, promissione, vel ordinatione Dei extrinseca, vel intrinseca; quamvis ordinatione Dei intrinseca, quæ fit per communicationem principij operis meritorij, quod est gratia non consummata, collata viatori, sit conditio necessaria ad meritum; ex cuius defectu provenit quod opera animarum purgatorij, & earum quæ sunt in cælo, meritoria non sint.

69. Objicies tertio contra tertiam conclusionem: Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. Moguntinam in confessione fidei cap. 8. & Senonense in decretis fidei cap. 16. docent opera justorum habere rationem meriti ex divina promissione: Ergo illa Concilia supponunt ad meritum apud Deum necessariam esse ordinationem ejus extrinsecam, in pacto vel promissione consistentem, & non sufficere illam quæ includitur in voluntate dandi gratiam tanquam principium merendi.

70. Respondeo concessa Antecedente, negando Consequentiam: solidum enim prædicta Concilia docere intendunt, promissionem divinam involvi in ratione meriti, tanquam aliquid sufficiens, ut vita æterna sit præmium & merces, nobisque infallibiliter conferatur, non tamen ut aliquid necessariò requisitum ad rationem meriti, & tanquam causam totalem & adæquatam, quare præmium vitæ æternæ, bonis operibus justorum infallibiliter conferatur: ad hoc enim sufficit ordinatione, quæ in voluntate dandi gratiam ut principium merendi includitur. Quod exemplo patet: sicut enim ut quis mereatur apud Regem, non necessariò requiritur, ut Rex præmium promittat, se ad illud dandum astringendo, sed sufficit ut illud dare proponat, & apud se statuat: sic etiam ut homo mereatur apud Deum, sufficit ut Deus decernat ac proponat dare præmium, licet illud non promittat, nec promissione suâ se nobis debitorem efficiat. Unde quando Concilium Moguntinum loco citato docet opera justorum duplici titulo esse digna remuneratione vitæ æternæ, nempe quia Deus illis promisit hoc præmium, & quia procedunt à Spiritu Sancto,

Tom. IV.

A animam movente per gratiam, non intendit utrumque necessariò requiri, ut infallibiliter vita æterna conferatur, sed solum vult quodlibet illorum sufficere.

Objicies quartò: Ad meritum operum Christi necessarium fuit pactum, & promissio Dei: Ergo multò magis ad meritum operum nostrorum illa requiritur, saltem tanquam conditio, sine qua opera nostra completam rationem meriti habere nequeunt. Consequentia patet, Antecedens probatur. Nulla alia ratio videtur posse assignari, cur merita Christi infinita, & sufficientia tam pro demonum, quam pro hominum redemptione, & pro obtinenda gratia & gloria tam Angelis, quam hominibus, non illam de facto Angelis, sed hominibus promeruerint, nisi quia Deus suo pacto ordinavit, ob merita Christi conferre hominum & non demonum redemptionem, & hominibus, non verò Angelis, gratiam & gloriam essentialem: Ergo &c.

Confirmatur: Meritum debet respicere præmium determinatum: Sed ad hoc necessaria est ordinatio Dei extrinseca, per quam ab ipso præmium determinetur: Ergo talis ordinatio est conditio necessariò requisita ad meritum.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, Ad cuius probationem, nego etiam Antecedens: ratio enim cur Christi merita se extendant ad redemptionem hominum, non verò demonum, & ad gratiam & gloriam essentialem hominum, non verò Angelorum, non sumitur ex pacto & promissione Dei, sed ex applicatione Christi, sua merita pro hominibus, non verò pro demonibus vel Angelis applicantis.

Ad confirmationem nego Minorem: cum enim merita nostra procedant à gratia sanctificante, quæ est semen gloriæ, & radix visionis beatificæ, ex natura sua, & absque omni promissione & ordinatione Dei extrinseca, ad præmium determinatum, scilicet beatitudinem supernaturalem, secundum determinatum gradum, referuntur, & ad illam, sicut via ad terminum, & media ad finem, ordinantur, ut supra ostensum est.

Objicies ultimò: Meritum dicit ordinationem ad duo, nempe ad mercedem cuius est dignum, & ad remuneratorem tanquam ad debitorem mercedis; ita ut sine utroque ordine meritum de condigno salvari nequeat: Sed Deus non potest esse debitor, nisi sibi ipsi, & hoc ratione pacti & promissionis, juxta illud Augustini serm. 16. de verbis Apost. *Debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod placuerit promittendo*: Ergo divina promissio, seu pactum, ad meritum de condigno necessariò requiritur.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem quoad secundam partem: ut enim Deus sit debitor ad retribuendam mercedem operibus justorum, sufficit quod illa ad mercedem ordinaverit; consequenter enim obligatur sibi ad implendam talem ordinationem: unde cum hæc ordinatione possit esse absque promissione, ex vi præcisè voluntatis conferendi gratiam tanquam principium merendi, divina promissio non requiritur necessariò ad meritum de condigno, sed ad illud per accidens & concomitanter se habet.

2

ARTICVLVS IV.

Virum retributio meritorum in Deo sit actus propriae & strictae iustitiae, & quoniam illa sit, commutativa, vel distributiva?

77. **T**itulus supponit plures dari species strictae & rigorosae iustitiae: nempe iustitiam legalem, quae respicit bonum commune, & aequalitatem non exhibendam alicui personae particulari, sed reipublicae; distributivam, quae pertinet ad superiorem distribuentem bona communia personis particularibus; & commutativam, quae respicit aequalitatem rei ad rem inter personas privatas, v. g. aequalitatem quae debet servari in emptione & venditione, in conductione & conventionione, & sic de alijs contractibus. Supponit etiam, dari plures species iustitiae largae & improprie sumptae, quae partes potentiales iustitiae appellari solent, quia imitantur quidem & emulantur rationem iustitiae, ab ea tamen deficient, vel quia non possunt reddere aequale, vel quia non habent debitum rigorosum & legale, sed morale tantum, quod attenditur secundum honestatem quandam & decentiam, non vero secundum legis obligationem. Ad hoc genus iustitiae pertinent virtutes quae sunt ad alterum, v. g. religio, quae respicit cultum Dei; observantia, quae respicit superiores; pietas, quae respicit parentes; gratitudo, quae respicit benefactores; & intendit recompensationem exhibere pro collatis beneficijs; & fidelitas, quae intendit servare fidem in verbis, & adimplere promissa. His praemissis.

78. **D**ifficultas est & controversia inter Theologos, a qua ex illis speciebus iustitiae procedat retributio meritorum in Deo, an a iustitia commutativa, vel distributiva, quae sunt species strictae & rigorosae iustitiae, vel a gratitudine aut fidelitate, quae sunt species iustitiae improprie & largae sumptae, seu partes potentiales iustitiae.

Prima sententia tenet praemium non reddi meritis a Deo ex stricta iustitia, commutativa, vel distributiva, sed solum ex fidelitate, vel gratitudine. Ita Vazquez hic disp. 215. cap. 1. & sequentibus, Lorea disp. 44. & Aravius art. 1. huius quaest. concl. 3. num. 6. Secunda, quam docet Suarez in opusc. de iustitia, & lib. 12. de gratia cap. 30. asserit illud reddi ex iustitia commutativa, quam dicit esse formaliter in Deo, seclusis imperfectionibus. Tertia, quae mediat inter utramque, & quae in Schola Angelica communis est, fatetur retributionem meritorum in Deo esse quidem actum propriae & strictae iustitiae, non tamen commutativae, sed solum distributivae, habentis modum aliquem seu similitudinem commutativae iustitiae. Unde fit

S. I.

Rejicitur prima sententia.

79. **D**ico primo, redditionem praemij pro meritis in Deo esse actum iustitiae, non vero gratitudinis, aut fidelitatis. Probatur primo ex illo 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi*

A *Dominus in illa die iustus iudex: quod enim datur per modum praemij & coronae, & a Deo ut iusto iudice datur ex iustitia, non vero ex gratitudine, aut fidelitate. Unde D. Thomas ibidem lect. 2. inquit. Corona iustitiae dicitur, quam Deus ex sua iustitia reddit. Et S. Augustinus tract. 3. in Joan. verba illa Apostoli expendens: Jam debitum flagitat (inquit) iam debitum exigit: ut ante susciperet gratiam, misericordem patrem operis habebat; ut praemium gratiae, iustum iudicem.*

Confirmatur ex Apostolo ad Hebraeos 6. dicente: *Non est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri: si enim ex sola fidelitate Deus mercedem bonis operibus debitam retribueret, Apostolus non diceret, Non est iniustus Deus ut obliviscatur operis vestri, sed diceret, non est infidelis, ut sui verbi, vel suae promissionis obliviscatur: Ergo non ex fidelitate, sed ex iustitia, Deus reddit praemium meritis nostris. Unde Augustinus de natura & gratia cap. 2. ait: Non est iniustus Deus, ut justos fraudet mercede iustitiae.*

Confirmatur amplius ex Tridentino sess. 6. cap. 16. ubi eam promissiones divinas, factas operibus iustorum, retulisset ex sacra Scriptura, subdit: *Aequo ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda: haec enim est illa corona iustitiae, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse dicebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendam. Ubi Concilium duos titulos, & rationes distinguit sperandi beatitudinem, scilicet ut haereditatem filiorum, & ut coronam iustitiae; & juxta illos, duas etiam videtur promissiones docere; una est qua promittitur ut gratia, id est ut haereditas gratiae debita, juxta illud: si filij, & haeredes; alia qua promittitur ut merces, seu ut corona iustitiae: Ergo sentit Concilium, ex posteriori promissione, quae est sub conditione operum, majus iustitiae debitum, quam ex priori simplici & absoluta promissione resultare: unde cum ex priori oriatur fidelitatis debitum, necesse est, ut ex posteriori, conditione operum impleta, strictae iustitiae obligatio nascatur.*

Probatur secundo ex D. Thoma hic art. 1. sic dicente: *Meritum & merces ad idem referuntur, id enim merces dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis, vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius: unde sicut reddere justam pretium pro re accepta ab aliquo, est actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris, est actus iustitiae. Ubi iustitiae actum non sumi pro actu gratitudinis manifestum est: nam quod ex gratitudine datur, non datur ut merces, nec est quasi pretium. Unde idem S. Doctor supra quaest. 21. art. 3. ait: Meritum & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quae fit secundum iustitiam. Et 1. contra Gent. cap. 93. concedit esse in Deo iustitiam, sicut liberalitatem & prudentiam: Sed prudentia & liberalitas sunt propriae & formaliter in Deo: Ergo & iustitia.*

Probatur tertio conclusio: Licet id quod est debitum merito, possit reddi ex fidelitate, si fit promissum; aut ex gratitudine, si detur in recognitionem beneficij recepti; quatenus tamen est

debitum merito ut tali, tanquam præmium scilicet, corona, & merces formaliter, non redditur ex fidelitate aut gratitudine: tum quia neutra ex illis virtutibus hanc rationem formaliter respicit: tum etiam quia si quod redditur ex fidelitate, esset præmium & corona, sequeretur quod Incarnatio, quæ ex fidelitate promissionum divinarum fuit data antiquis Patribus, & remissio peccatorum, quæ peccatori se convertenti datur ex fidelitate divinæ promissionis, essent præmium, merces, & corona iustitiæ: quod dici nequit, cum utraque sit purè gratuita, & non possit cadere sub merito, saltem de condigno, ut infra patebit. Similiter si quod datur ex gratitudine, præmium esset, munera quæ in gratiarum actionem Deo offerimus, haberent rationem præmij & coronæ; quod etiam absurdum est: Ergo id quod est debitum ex merito, quatenus tali, non nisi ex iustitia redditur.

84. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum vita æterna sit magis debita operibus meritorij iustorum, quam prima gratia remissiva peccati operibus ad eam disponentibus, quia illa datur ut præmium & corona, hæc verò merè gratis; & tamen prima gratia sanctificans disponenti se datur ex fidelitate divinæ promissionis, ut patet ex illo Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; manifestum est quod vita æterna alio titulo debetur operibus meritorij iustorum, quam fidelitatis, subindeque quod ex iustitia stricta & rigorosa obligatur Deus eam reddere iustis: præsertim quia ex promissione acceptata sub conditione operis æqualis, oritur obligatio ex vera iustitia, ut patet in obligatione reddendi denarium, conventionem factâ cum operarijs, sub conditione laborandi in vinea. Unde cum Deus promiserit iustis vitam æternam, sub conditione bonorum operum, quæ ratione gratiæ & charitatis à qua procedunt, habent æqualitatem seu proportionem cum vita æterna, ut infra ostendemus, ex illis (supposito tali pacto seu promissione) oritur in Deo obligatio stricta iustitiæ, ad remuneranda bona opera iustorum, ex gratia & charitate procedentia.

§. II.

Eadem veritas aliâ ratione suadetur.

85. Poteest etiam suaderi conclusio, demonstrando virtutem gratitudinis non posse reperiri in Deo, subindeque nec retributionem præmij pro meritis hominum ab illa procedere. Sic ergo poteest hæc ratio breviter proponi. Virtus gratitudinis non reperitur in Deo: Ergo retributio præmij pro meritis iustorum, in Deo non est actus virtutis gratitudinis. Consequentia patet: Antecedens probatur primò. Virtutes quæ respiciunt alium ut superiorem & excellentem, Deo repugnant; unde in illo non possunt esse religio, pietas, aut observantia, ut omnes fatentur: Sed gratitudo respicit alium, nempe benefactorem, ut superiorem & excellentem; quia ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 3. *Benefactor, in quantum huiusmodi, est causa beneficiati*; & ideo beneficiatus ad benefactorem convertitur ut ad principium suum, ut ibidem subdit S. Doctor: Ergo virtus gratitudinis non poteest in Deo reperiri formaliter.

Secundò: Objectum gratitudinis est beneficium ab alio acceptum: Sed Deus nullum poteest

Tom. IV.

A recipere beneficium à creaturis; cum sit sibi sufficiens, & nullius boni indigens, ut declarat Prophetâ Psal. 15. dicens: *Ego dixi Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: Et Psal. 49. *Deus Deus tuus ego sum, non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos &c. Meus est enim orbis terræ &c.* Ergo virtus gratitudinis non poteest esse in Deo.

Neque valet si dicas, Deum posse recipere gloriam à creaturis, quæ est aliquid bonum ipsi extrinsecum, quod respicit quasi beneficium sibi collatum, & quasi cedens in proprium bonum & utilitatem. Cum enim quidquid creatura poteest facere in gloriam & obsequium Dei, pluribus titulis ipsi debitum sit, nempe titulo creationis, titulo conservationis, & titulo innumerabilium donorum quibus creaturam rationalem afficit, perficit, & cumulat, non poteest habere rationem doni seu beneficij Deo præstiti, sed ad summum est obsequium & servitium illi debitum. Unde Christus Lucæ 17. ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus*. Quibus verbis evidenter nos instruit, ut non solum nos aliquid Deo contulisse, aut dignos aliquâ Dei gratitudine, propter servitia illi exhibita reputemus, sed potiùs nos servos inutiles esse sentiamus. Unde egregie Bernardus: *Cum ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est totum, sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potius unum minutum, voluntatem meam; & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus ramillum tantis beneficijs prevenit; qui toto, totum me sibi comparavit?*

Tertiò probatur idem Antecedens: Dominus non poteest servo ex gratitudine obligari: Sed homo ratione creationis, & conservationis, & pluribus alijs titulis, Dei servus est: Ergo Deus non poteest ex gratitudine homini obligari. Quam rationem insinuat D. Cyrillus, relatus à D. Thoma in catena aurea, in illud Lucæ 17. *servi inutiles sumus*. *Considera* (inquit) *quod qui apud nos dominantur, non referunt gratias, cum alicuius subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia &c.*

Dices: Inter homines posse dominum ex gratitudine servo obligari: nam D. Thomas 2. 2. quæst. 106. art. 3. ad 4. docet cum Seneca lib. 3. de beneficijs, quod *quandiu servus præstat quod à servo exigi solet, ministerium est; ubi plusquam à servo necesse est, beneficium est; & ideo servus ultra debitum facientibus, gratia sunt habenda*. Ergo pariter, licet homo sit Dei servus; si tamen operetur ultra id quod tenetur, præstat beneficium Deo, & ex parte Dei aliqua gratitudo correspondere poteest.

Sed hoc facile poteest confutari: In primis enim ex hac solutione sequitur quod solum opera bona supererogationis, & quæ cadunt sub consilio, sint meritoria apud Deum, non verò quæ cadunt sub præcepto; nam solum in eliciendis operibus supererogationis, verificatur hominè facere ultra id quod tenetur: Sed hoc est absurdum: cum enim ea quæ cadunt sub præcepto, procedant ex virtute obedientiæ, quæ tribuit specialem rationem meriti, magis sunt meritoria, cæteris paribus, quam ea quæ cadunt sub consilio: Ergo &c.

Deinde servitus hominis ad Deum, longè altior est & major, quam servitus hominis ad hominè: nam homo licet ut servus, alterius hominis sit

Z ij

inferior illo, tamen ut homo, est illi æqualis; unde non est sub dominio ejus quoad vitam & membra, nec quoad omnes omnino actiones, sed quoad illas tantum, quæ sunt proportionate humano servitio & commoditati, & convenienter exhiberi possunt: At vero respectu Dei homo est servus quoad omnia, quia & quoad vitam, & corporis integritatem, & quoad animam, & omnes ejus actiones, est sub dominio Dei; ita ut licet nunc quasdam actiones homini præcipiat, & non alias, posset tamen omnes bonas actiones præcipere & exigere, si vellet: Ergo licet inter homines possit dominus ex gratitudine obligari servo operanti ultra id quod tenetur, non tamen Deus homini opera bona supererogationis elicienti; præsertim cum illa opera sint Deo debita, debito gratitudinis, & pluribus aliis titulis, quos nunquam homo exhaurire potest; & cum quidquid in obsequium Dei facimus, Deus ipse per gratiam prævenientem incipiat, benefaciendo nobis, subindeque omne opus bonum quod Deo offerimus, sit novum ejus beneficium. Unde respectu cujuscunque actionis hominis ad Deum comparata, illud Apostoli locum habet: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Id est, quis à se incepit dare illi aliquid, & non potius ab ipso accepit?

89. Ultimo argumentari possumus ad hominem contra Vaz quem, qui vult retributionem præmij in Deo esse ex gratitudine, ne justitiam veram & rigorosam erga hominem illi tribuat: argumenta enim quibus conatur ostendere in Deo non esse strictam justitiam, multo magis demonstrant in eo non posse reperiri gratitudinem. Hujusmodi est illud, quod dominus non obligatur servo ex justitia: nam, ut ostendimus, multo minus obligatur ipsi ex gratitudine; imò licet obligatio justitiæ major videatur, in hoc tamen differt ab obligatione ex gratitudine, quod illa potest oriri, saltem radicaliter, ex voluntate debitoris, qui voluit promittere aut pacisci; obligatio vero gratitudinis non fundatur in voluntate recipientis beneficium, sed necessitate quadam ex beneficio oritur, ideoque ex hac parte magis Deo repugnat.

§. III.

Secunda opinio refellitur, & vera statuitur.

90. Dico secundo, retributionem præmij in Deo non esse actum justitiæ commutativæ, sed distributivæ, habentis tamen aliquem modum commutativæ justitiæ. Ita expressè docet S. Thomas variis in locis. In primis enim in 1. dist. 27. quæst. 1. art. 2. sic habet: *In redditione præmij ad merita, magis servatur forma distributionis; cum ipse (Deus) unicuique secundum opera sua reddat, quam commutationis, cum Deus à nobis nihil accipiat. Quamvis à Sanctis quandoque invenitur metaphorice dictum, quod bonis operibus regnum colorum emitur, in quantum Deus accipit opera nostra, ut accipians ea. Et in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ait ad meritum requiri, ut æquiparetur mercedi, non quidem secundum æqualitatem quantitatis, quia hoc requiritur in justitia commutativa, quæ consistit in emptionibus & venditionibus; sed secundum æqualitatem proportionis, quæ requiritur in justitia distributiva, secundum quam Deus æterna præmia paritur. Item in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 1. quæstione. 1. In quantum Deus (inquit) præmium reddit pro meritis, hoc ad justitiam distributivam pertinet, cujus est distribuere omni-*

A bus proportionabiliter secundum suam dignitatem, Et super Dionysium de divin. nomin. c. 8. lect. 4. hæc scribit: *Justitia convenit Deo secundum tres actus: primo quidem secundum hoc quod est distribuere; commutativa autem justitia in Deo locum non habet, quia ut dicitur ad Roman. 1. 1. Quis prior dedit illi & retribuetur ei? Sed attribuitur ei distributiva justitia, quæ non observat æqualitatem quantitatis, ut æqualia omnibus det, sed æqualitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignus est. Denique 1. p. quæst. 21. art. 1. & 1. contra gent. cap. 93. asserit justitiam quantum ad commutationis actum non posse Deo competere, cum ipse à nullo accipiat. Unde sic licet arguere: Justitia commutativa non reperitur in Deo: Ergo retributio mercedis pro meritis hominum non est in Deo actus justitiæ commutativæ. Consequentia patet, Antecedens ratione D. Thomæ suadetur. Ad justitiam commutativam proprie dictam necessario requiritur, ut debitum legale oriatur in extremis, in quibus reperitur, ex dato unius, & accepto alterius: Sed nulla creatura potest dare aliquid Deo per merita, juxta illud Apostoli: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Ergo in Deo non potest esse justitia commutativa proprie dicta. Hanc rationem fassè expendimus in Tract. de voluntate Dei disp. 7. art. 1. §. 2. unde eam hic non magis urgemus, sed ad hunc locum Lectorem remittimus.*

B Confirmatur: Justitia commutativa fundatur in stricto debito, seu obligatione aliquid tribuendi alteri: Sed in Deo non potest esse strictum debitum, seu obligatio respectu creaturæ; cum strictum debitum imponit in ferocitatem aliquam & dependentiam debentis ab eo, cui debetur: unde D. Thomas hic art. 1. ad 3. ait quod *Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.* Ergo justitia commutativa non potest esse in Deo. Quam etiam rationem loco citato latè expendimus.

D Ex his probata manet secunda pars conclusionis. Ut enim præcedenti assertioni monstravimus, retributio vitæ æternæ pro bonis operibus, in gratia & charitate factis, non est à Dei fidelitate, vel gratitudine, sed à vera, & stricta justitia: Ergo cum tres tantum dentur species veræ & strictæ justitiæ, nempe legalis, commutativa, & distributiva, si talis retributio non sit actus justitiæ legalis, vel commutativæ, necessario debet à justitia distributiva procedere.

E Confirmatur: Justitia distributiva maximè dicit perfectionem & excellentiam, & non habet adjunctos defectus, qui à justitia commutativa inseparabiles sunt: Ergo reperitur in Deo formaliter; subindeque ab illa retributio præmij procedit. Consequentia patet, Antecedens probatur. In primis enim justitia distributiva non est equalis ad æqualem, sicut commutativa, sed superioris ad inferiores; pertinet enim ad superiorem distribuere inferioribus de communibus bonis, uniusque juxta proportionem suam: unde talis justitia maximè decet supremum mundi principem & gubernatorem, qui ut ait Dionysius cap. 8. de divin. nomin. *Omnibus tribuit propria secundum uniuscujusque existentium dignitatem.*

Deinde (probatur idem Antecedens) debitum justitiæ distributivæ non nascitur ex jure alterius erga distribuentem, sed vel ex naturali rectitudine, & ipsa lege æquitatis, quæ tenetur distributor commensurate præmium meritis, illudque

juxta proportionem dignitatis cujusque distribuere, vel ex pacto quod habuit cum republica, tanquam minister ejus, de recta distributione faciendâ; unde malus distributor non tenetur ad restitutionem pecuniæ vel beneficii malè collati, propter jus inferioris, sed propter obligationem quam habet ad Ecclesiam, vel communitatem, cum qua tale pactum habuit: in Deo autem, qui est supremus gubernator, & prima regula totius rectitudinis & æquitatis, obligatio ista non est imposita ab alio, sed ex propria voluntate & summa æquitate descendens, ipse enim sibi lex est.

Item justitia distributiva non fundatur in dato & accepto, sicut commutativa, sed in proportionem personæ ad rem; unde non exigit æqualitatem arithmeticam & rigorosam, sicut commutativa, sed duntaxat geometricam & proportionalem: nam in distribuendis bonis reipublice non debet sic attendi meritum, ut tot partes bonorum recipiat civis, quot habet gradus meriti: ut si habeat centum, centum etiam recipiat, sed debet attendi quædam proportio seu habitudo ad alios, ita ut si habenti quinquaginta gradus meriti tribuantur viginti partes bonorum, habenti centum tribui debeant quadraginta partes. Hanc verò æqualitatem proportionis Deus observat, non solum in creatione, dando singulis creaturis secundam earum proportionem & dignitatem, & eas ad debitum ordinem & consonantiam redigendo, juxta illud Terulliani contra Marcionem, *Dei bonitas operata est mundum, justitia modulata est*; sed etiam in meritum remuneratione: nam gloria seu beatitudo distribuitur inter ipsos Beatos, non æqualiter, sed inæqualiter, juxta proportionem meritum, & uniuscujusque dignitatem, ut ex illa varietate & proportionem pulchritudo & decor cœlestis Jerusalem confurgat, sicut pulchritudo universi ex proportionali bonorum naturalium distributione resultat. Unde D. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 1. ait quod sicut ordo congruus familie, vel cujusque multitudinis gubernata, demonstrat hujusmodi justitiam (scilicet distributivam) in gubernante; ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam.

Denique justitia distributiva non requirit necessarium, quod distributor à se abdicet dominium supremum bonorum quæ distribuit, sed retento suo supremo dominio, potest inferius dominium conferre his quibus illa distribuit, ut patet in Principe, qui potest servare justitiam distributivam, largiendo bona communia in feudum, aut emphyteusim, vel etiam solum donando usumfructum: unde ex eo quod Deus sua bona creaturis distribuat, non sequitur quod eorum dominium à se abdicet, vel dimittat, sed solum quod retento supremo in ea dominio, dominium utile & inferius in eas transferat, ita ut bona quæ sunt sub dominio ejus, faciat merita hominis, ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 16. dicens: *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius bona*: & Augustinus ait quod quando Deus merita nostra remunerat, dona sua coronat.

Ex his ergo facile intelliges, quare justitia distributiva non repugnet Deo formaliter, sicut commutativa, quia scilicet ejus completa ratio potest ab imperfectionibus depurari: de ratione enim justitiæ distributivæ est, facere æqualitatem proportionis inter personas particulares, distribuendo singulis de bonis communis, proportiona-

Tom. IV.

A tē ad suam dignitatem, meritum, & conditionem, quæ ratio stare potest sine ulla obligatione, orta ex jure hujusmodi personarum supra ipsum gubernatorem distribuentem bona communia, & sine ulla diminutione dominij ipsius supra bona quæ distribuit, si videlicet tota dignitas personarum particularium, & meritum, nec non & ipsa bona communia, sint ab ipso gubernatore nec ab ejus dominio & proprietate possint distrahi: tunc enim ex jure quod habent personæ particulares ad aliquod ex bonis communis, nulla nascitur obligatio in illo gubernatore ad illud retribuendum ex vi talis juris, nec ejus dominium tali jure diminuitur; sicut nec diminuitur dominium alicujus supra pabulum, ex eo quod ipsum tribuit equo, quando & equus & pabulum sunt plene ipsius. Ex quibus sequitur, quod si gubernator communis habeat aliquam obligationem distribuendi pluribus bona ipsius, obligatio illa non possit oriri, nisi vel ex eo quod meritum & dignitas ipsorum non est ab illo, vel ex aliqua lege superioris, vel ex ordinatione sapientiæ, & decentiæ bonitatis ipsius: unde cum omne meritum, omnisque hominum dignitas, sit modo perfectissimo à Deo, nec ipse possit subdi legi alicujus superioris, nullam potest habere aliam obligationem distribuendi bona communis partibus universi, quam eam quæ oritur ex ordinatione suæ sapientiæ, ex fidelitate suæ promissionis, & ex decentiæ suæ bonitatis; quæ obligatio non constituit Deum debitorem creaturis, sed magis sibi ipsi, quia sibi ipsi debet ut compleat quod ordinavit & promissit, quodque bonitatem suam decet: neque etiam ullam ponit in Deo dependentiam à creaturis, nec ipsum ordinat ad illas; quin potius creaturas ordinat ad Deum, utpote cum ipse sit finis ultimus, ad quem tendit illa bonorum Dei distributio.

Intelliges etiam, quod quamvis, defectu stricti debiti & obligationis, retributio præmij pro meritis non sit in Deo actus justitiæ commutativæ, quia tamen in ea servatur æqualitas, quam justitia commutativa respicit, retinet quemdam modum justitiæ commutativæ: unde adeptio gloriæ in Scriptura comparatur emptioni pretiosæ margaritæ, & negotiationi talentorum, quæ modum justitiæ commutativæ important. Quare Basiliius lib. de Spiritu Sancto cap. 24. ait: *Omnes qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes*. Et Augustinus in quodam sermone differens de gloria paradisi, sic Deum & hominem adinvicem loquentes inducit: *Venale habeo: quid domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita*. In quantum ergo Deus ponderat uniuscujusque laborem, & juxta valorem ipsius reddit mercedem, servat modum quemdam justitiæ commutativæ: quatenus verò considerat omnium dignitatem, & juxta diversitatem meritum, diversa tribuit præmia, servat perfectæ rationem justitiæ distributivæ.

Ex quo probatur tertia conclusionis pars, & quædam D. Thomæ testimonia exponuntur, quibus justitiam commutativam videtur in Deo ponere: loquitur enim de justitia commutativa, quoad modum & similitudinem, non verò quoad essentiam & rationem formalem, ut patet ex 4. sent. dist. 46. quæst. 1. art. 1. quæst. i. ubi hæc scribit: *Justitia commutativa, per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem, & creaturam*

Z ij

recipientem. Deo competere non potest secundum propriam acceptionem, quia beneficia Dei semper excedunt meritum creatura: sed tamen servatur etiam proportionis quadam equalitas inter Deum dantem, & creaturam recipientem, in quantum scilicet ita se habet ad suam superabundantiam, sicut creatura ad id quod competit ei secundum suam parvitatem. Et sic quidam modus commutative justitie invenitur in Deo respectu creaturae. Propter quem modum 2. 2. quest. 61. art. 4. ad 1. docet in divino judicio servari formam commutative justitie, tam in reddendo premio pro meritis, quam in supplicio pro culpis, ut ibi explicat Cajetanus.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

98.

Objicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. 1. dicit inter nos & Deum non posse esse meritum simpliciter, quia non potest esse justitia simpliciter: Ergo censet reddendum præmij pro meritis hominum, non esse apud Deum actum veræ & strictæ justitiæ, sed duntaxat justitiæ largæ & improprie sumptæ, qualis est gratitudo, vel fidelitas, quæ sunt partes potentiales justitiæ.

99.

Respondeo D. Thomam hic loqui de justitia commutativa, & de merito cui debetur merces secundum justitiam commutativam: si enim sermo sit de justitia distributiva, & de merito cui ex justitia distributiva debetur merces, in nobis meritum simpliciter est, & in Deo justitia distributiva propriæ; quia hæc non requirit absolutam æqualitatem, sicut justitia commutativa, sed tantum æqualitatem proportionis, ut supra declaravimus. Unde D. Thomas 1. contra Gentes cap. 93. de Deo loquens, sic concludit: *Non igitur sibi competit commutativa justitia, sed solum distributiva.*

100.

Objicies secundò: Tridentinum sess. 6. cap. 16. sic habet: *Iustificatis hominibus, & bene operantibus, proponenda est vita æterna, tanquam gratia misericorditer promissa.* Sed quod datur ex veræ & strictæ justitiæ, gratiæ nomine appellari nequit: Ergo vita æterna operibus bonis & meritoriis non tribuitur à Deo ex veræ & strictæ justitiæ, sed tantum ex gratitudine, vel fidelitate.

101.

Respondeo vitam æternam appellari gratiam, vel quia ortum habet ex summa gratia, ex gratuita scilicet Dei prædestinatione: vel dicitur gratia in radice, quia prima gratia sanctificans, quæ est principium & radix meriti vitæ æternæ, gratuito & misericorditer datur. Non intendit tamen Concilium negare, quod vita æterna detur ex justitia, quatenus est merces bonorum operum, sed id expressè ibidem asserit, subdens: *& tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à justo iudice sibi reddendam &c.* Idem colligitur ex Concilio Arausicano 2. cap. 18. dicente: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia que non debetur, præcedit ut fiant.* Id etiam eleganter expressit D. Prosper 2. de vocat. cap. 2. his verbis: *Datur unicuique gratia sine merito, unde tendat ad meritum, & datur ante illum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.*

102.

Objicies tertio: Eodem modo, servatà propor-

tionem, philosophandum est de remuneratione meritorum, sicut de retributione supplicij pro delicto: Sed retributio pœnæ pro demeritis pertinet ad justitiam vindicativam, quæ non est propria & rigorosa justitia, sed pars potentialis illius: Ergo etiam remuneratione meritorum ad rigorosam justitiam non pertinebit in Deo, sed ad gratitudinem, quæ est pars potentialis justitiæ.

Confirmatur: Remuneratio meritorum maxime respicit affectum dantis, ut patet in vidua, quæ offerens duo æra minuta, plus obtulit quam alij, propter majorem effectum, ut dicitur Marci 12. sed respicere affectum, proprium est gratitudinis, & alienum à justitia, quæ tantum respiciet æqualitatem dati & accepti: Ergo remuneratio meritorum in Deo, non est actus justitiæ, sed gratitudinis.

Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: licet enim vindictio, ut fit à persona particulari, intendente propulsare malum, & injuriam sibi illatam, vel per defensionem, vim vi repellendo, vel per ultionem, postulando id ab eo qui habet auctoritatem publicam, pertineat ad justitiam vindicativam, quæ est pars potentialis justitiæ; illa tamen, prout fit à persona publica, fit secundum rationem justitiæ propriè dictæ, vel observando formam justitiæ commutativæ, quando tanta est pœna in quantitate, quantum est damnum per culpam illatum; vel secundum formam distributivæ, quando attenditur ad proportionem personarum ad recipiendas pœnas, ut expressè docet S. Thomas 2. 2. quest. 80. art. unico ad 1. & quest. 108. art. 2. ad 1.

Ad confirmationem, concessâ etiam Majori, distinguo Minorem: respicere affectum dantis, proprium est gratitudinis, & alienum à justitia, commutativa, concedo: distributiva, nego: hæc enim potest considerare affectum, non secundum quod exhibet aliquid gratis & spontaneè, sic enim à gratitudine consideratur, sed quatenus ipsum opus, tali affectu factum, reddit aliquem proportionatum, & dignum aliquo premio distribuendo. Et quamvis distributiva justitia, quæ est in homine, non considerat affectum, posset tamen justitia distributiva Dei illum respicere: tum quia hæc universalioris extensionis est: tum etiam quia præmium vitæ æternæ principaliter correspondet charitati.

Objicies quartò: Merito non est debitum præmium ex justitia: Ergo redditio præmij non est in Deo actus justitiæ. Consequentia manifesta est: Antecedens probatur. Primò quia debitum justitiæ fundatur in aliqua ratione dati vel accepti: Sed Deo non potest aliquid dari à creatura, juxta illud Apostoli ad Roman. 12. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ergo Deus non potest debere præmium homini ex justitia. Secundò probatur: Quod est debitum ex justitia, habet rationem pretij, quæ distincta est à ratione præmij aut coronæ, cum pretium possit reddi pro labore brutorum, non verò præmium vel coronæ. Probatur tertio Antecedens: Si meritis hominum præmium vitæ æternæ esset debitum ex justitia, sequeretur quod si Deus merita nostra non remuneraret, faceret nobis injuriam: Sed hoc non est dicendum; cum enim sit dominus absolutus omnium, nihil adimit non suum, & per consequens nulli facit injuriam; unde Augustinus super Psal. 70. *Si Deus damnaret justum, quis ei diceret quid fecisti? Quanta ergo misericordia, ut justificet injustum:* Ergo &c.

107. Respondeo negando Antecedens, intellectum de merito condigno, ut debet intelligi. Ad primam ejus probationem, distinguo Majorem: debitum justitiae fundatur in aliqua ratione dati & accepti, justitiae commutativae, concedo Majorem: debitum justitiae distributivae, nego Majorem; illud enim fundatur in proportione personae ad rem, non vero in dato & accepto, ut antea declaravimus.

Ad secundam dico etiam premium esse quasi quoddam premium: nam ut ait D. Thomas hic art. 1. in corp. *Id merces dicitur, quod alicui re- compensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam premium ipsius.* Et Augustinus Epist. 105. *Sicut merito peccati (inquit) tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tanquam stipendium vita aeterna.* Licet ergo non omne premium sit premium, ut patet de pretio quod redditur pro labore brutorum; premium tamen quod redditur pro hominum labore & meritis, est quoddam premium: unde denarius quem laborantes in vinea acceperunt, dicitur merces Math. 20. & tamen erat etiam premium.

Ad tertiam dicendum, quod si premium vitae aeternae esset debitum justis ex justitia commutativa, Deus faceret nobis injuriam, si merita nostra non remuneraret: secus vero si sit debitum solum ex justitia distributiva, quia, ut supra dicebamus, debitum justitiae distributivae non nascitur ex jure alterius erga distribuentem, sicut debitum justitiae commutativae, sed ex naturali rectitudine, & ipsa lege aequitatis, qua tenetur distributor commensurate premium meritis, illudque juxta proportionem dignitatis uniuscujusque distribuere: unde malus distributor non facit propriam injuriam illi cui non dat premium aequale merito, sed reipublicae, cuius est minister, vel legi, & aequitati naturali, quam violat.

108. Obijciens quisto cum Aravio loco supra citato: Remuneratio meritorum est antidotalis tam in hominibus, quam in Deo; antidota enim significat id quod vulgo gallice dicitur *Retribution*, & hispanice *Galardon*, ut bene notat Calepinus, verbo *Antidota*: At qui antidotalis retributio non est vera justitia, sed ex quadam gratitudine remunerativa procedit, est enim antidota remunerativa retributio pro beneficiis ab aliquo acceptis impensa, ut clare colligitur ex lege *sed et si* §. *Consultus*, ff. de petitione hereditatis ubi Glossa dicit quod antidota idem est atque contraria donatio; dicitur enim ab *anti* quod significat contra, & *donum* quod est donum; in additione vero marginis subdit obligationem antidotalem ab obligatione puri pacti differre, quia quod tribuitur ex obligatione antidotali, vere donatur, secus vero quod redditur ex obligatione pacti; quae differentia colligitur ex lege *hoc jure*, ff. de donationibus: Ergo remuneratio meritorum in Deo proprie pertinet ad gratitudinem, quae est pars potentialis justitiae, non vero ad justitiam strictam & proprie sumptam.

109. Respondeo negando Majorem: dato enim quod in humanis remuneratio meritorum esset antidotalis, subindeque procederet ad gratitudinem, non vero ad justitiam; in Deo tamen remuneratio antidotalis dari non potest, si antidota significet contrariam donationem, seu recompensationem pro accepto beneficio, quia ut supra §. 2. ostensum est, Deus nullum potest ad creaturis beneficium recipere, nec ipsis ex gratitudine obligari, sicut nec dominus servo: unde sicut non potest dari an-

A tidoralis remuneratio domini ad servum, ut talis est, ita nec Dei ad hominem.

§. V.

Diluantur aliae objectiones, quae contra secundam conclusionem fieri solent.

110. Contra secundam conclusionem, in qua dicitur minus retributionem praemij in Deo non esse actum commutativae, sed distributivae justitiae, objicit in primis Suarez quaedam SS. Patrum testimonia, quibus asseritur quod Deus esset injustus, si non distribueret praemia justis. Ita explicitè docet Augustinus lib. 3. contra Julian. cap. 3. dicens: *Deus ipse (quod absit) non erit justus, si ad eius regnum verus non admittitur justus.* Et D. Thomas in 4. dist. 46. quaest. 1. art. 2. quaestione. 2. ait: *Si Deus alicui minus conferret de bonis quam ei debetur, vel plus puniret quam peccasset, hoc contra ordinem justitiae esset, nec Deus hoc posset, loquendo de potentia ordinata.*

111. Sed facile responderetur, haec solum convincere, reperiri in Deo veram & propriam justitiam, per quam remuneret merita justorum; non tamen probare in Deo reperiri justitiam commutativam vere & proprie, secundum quod distinguitur a justitia legali & distributiva: haec enim testimonia proprie & in rigore explicari possunt de justitia distributiva; quia cum illa sit vera species justitiae, Deus diceretur aliquo modo injustus, si eam non observaret in retributione praemiorum, eaque secundum proportionem geometricam non distribueret; & quia ita illa distribuit, dicitur ab Apostolo ad Hebraeos 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

112. Obijcit secundo: Servare aequalitatem rei ad rem, est proprium justitiae commutativae; ut distinguitur a distributiva & legali, sicut docet S. Thomas 2. 2. quaest. 61. art. 2. Sed Deus talenti aequalitatem servat in retribuendo premio vitae aeternae; reddit enim unicuique premium aequale merito, juxta illud ad Roman. 2. *Redder unicuique secundum opera ejus.* & istud 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem:* Ergo retributio praemij in Deo est actus commutativae justitiae.

113. Confirmatur ex illo Matth. 20. *Tolle quod tuum est & vade:* in quibus verbis designatur in mercenariis, qui significant justos viatores, proprietatis & dominium juris contra patrem familias, hoc est contra Deum: Sed non potest dari erga aliquem jus verum & proprium, nisi oriatur ex justitia commutativa: Ergo Deus ex tali justitia merita justorum remunerare tenetur.

114. Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: servare aequalitatem rei ad rem, cum obligatione orta ex jure proprietatis, est proprium commutativae justitiae, concedo Majorem; absque illa obligatione, nego Majorem. Nam ut docet D. Thomas 2. 2. quaest. 80. art. unico, dupliciter aliqua virtus a ratione justitiae commutativae deficit, primo quia deficit a ratione aequalis, secundo quia deficit a ratione stricti debiti, seu obligationis orta ex jure proprietatis: unde cum talis obligatio non possit reperiri in Deo, non potest recompensare merita justorum, & premium vitae aeternae illis retribuere, ex commutativa justitia, sed solum ex distributiva, quae non respicit debitum ortum ex jure proprietatis, sicut commutativa justitia, sed debitum ortum ex dignitate unius operis meritorij, comparative ad dignitatem al-

terius; quod debitum non respicit propriè præmiantem, ut ipsum obliget ex iustitia, sed duntaxat ipsum præmium, ad quod meritum de condigno habet proportionem & jus, & de hoc iure intelligi debent verba illa Matthæi, *Tolle quod tuum est*, non verò de iure proprietatis, strictam in Deo obligationem inducente. Ex quo patet responsio ad confirmationem.

115. Objicitur tertio contra secundam partem ejusdem conclusionis, in qua diximus retributionem præmij in Deo esse actum distributivæ iustitiæ. Iustitia distributiva importat duas imperfectiones Deo repugnantes: Ergo retributio præmij in Deo non potest à tali iustitia procedere. Consequentia patet: Antecedens probatur. In primis enim iustitia distributiva requirit debitum legale in distributore, & non solum morale; quia debitum morale solum inducit obligationem in genere fidelitatis, vel gratitudinis, non verò in genere iustitiæ veræ & propriæ; repugnat autem Deum ligari seu obligari creaturis debito legali; cum tale debitum aliquam dependentiam à creaturis importet. Deinde iustitia distributiva exigit abdicationem & translationem dominij rei quæ distribuitur; quia per distributionem res distributa transit in dominium merentis, & alienatur ab ipso præmiante; nam si manet in dominio ipsius, non est actus distribuentis, sed trahentis alterum ad consortium suum, & ad communicationem bonorum, quod est per modum contractus, non verò per modum distributionis: Sed Deus non potest à se abdicare dominium quod habet in bona creata, illudque in hominem transferre: Ergo nec exercere erga illum actum distributivæ iustitiæ.

116. Respondeo negando Antecedens. Ad cuius primam probationem dico, quòd quamvis Deus non possit ligari debito legali, orto ex lege facta ab aliquo superiori, potest tamen obligari debito legali, proveniente ex ordinatione suæ voluntatis, quæ est ipsa lex & relictio per essentiam; & hoc debitum legale ad iustitiam distributivam sufficit, ut supra declaravimus.

Ad secundam nego de ratione iustitiæ distributivæ esse, quod distributor à se abdicet & in alium transferat dominium supremum bonorum quæ distribuit; sufficit enim quod alteri conferat dominium utile in huiusmodi bona, eaque ad solum usum distribuat, retento in ea supremo dominio, ut supra ostendimus exemplo Principis, qui potest actum iustitiæ distributivæ exercere erga subditos, illis largiendo bona communia in feudum, vel emphiteusim, vel etiam solum illis donando ipsorum usum. Unde ex iustitia distributiva non oritur in Deo obligatio transferendi dominium bonorum quæ largitur creaturis rationalibus, sed satis est quod bona, quæ sunt sub ejus dominio, in nostrum usum seu utilitatem cedant, & ea quæ sunt Dei dona, sint etiam hominis merita, ut loquitur Tridentinum supra citatum.

117. Objicies ultimò: Iustitia distributiva non respicit æqualitatem arithmeticam, seu absolutam rei ad rem, sed geometricam & proportionalem, ac comparativam unius ad alterum; attendit enim ad proportionem plurium personarum, ad præmium concurrentium: Atqui Deus in remuneratione meritorum non respicit hanc proportionem geometricam plurium personarum, sed proportionem absolutam quam habet præmium cum merito, ita ut reddat tantum præmij pro tanto

A merito, ut unumquemque remuneret, quantum ejus opera merentur; unde si unus tantum esset prædestinatus, cui pro meritis daret gloriam, ille actus esset ejusmodi rationis & speciei cum illo, quo nunc de facto retribuit pluribus prædestinatis beatitudinem: Ergo Deus in remuneratione meritorum non exercet actum distributivæ iustitiæ.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Deus enim in remuneratione meritorum duo præstat, in primis attendit ad debitam proportionem & commensurationem præmij cum merito, ut unumquemque remuneret quantum ejus opera merentur; & in hoc observat modum quandam commutativæ iustitiæ, ut in tertia parte conclusionis ostendimus: deinde respicit ad comparativam proportionem unius cum altero, ut tribuat majus præmium digniori, & minus præmium minus digno, juxta illud Matth. 25. *Dedit uni quinque talenta, alij duo, alij unum, unicuique secundum virtutem suam*; & in hoc exercet actum distributivæ iustitiæ. Licet autem non essent plures prædestinati, quorum merita inter se compararet, nihilominus actum talis iustitiæ exerceret, quia tunc attenderet ad possibilitatem plurium, cum quibus merita unius compararet.

ARTICVLVS V.

Utrum verè & propriè mereri possimus de condigno vitam æternam?

SUPPOSITO quod homo possit verè & propriè mereri à Deo, sequitur dicendum de objecto meriti, seu de his quæ sub merito cadere possunt; & primò de gloria, seu vita æterna, quam de fide certum est nos per bona opera, in gratia & charitate facta, aliquo modo de condigno promereri; cum illa in Scriptura merces, bravium, corona iustitiæ, denarius diurnus, aliisque nominibus, quæ inter homines debitum & obligationem iustitiæ significant, nuncupetur. Unde Tridentinum sess. 6. cap. 16. dicit quod *benè operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et can. 32. damnat eum qui dixerit, *iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem.* Hoc ut dixi de fide certum est, & indubitatum apud omnes Catholicos. Sed aliqui distinguunt duplex meritum de condigno; unum improprium & largè dictum, ex divina ordinatione & acceptatione proveniens; aliud proprium, quod habet in se intrinsicè & æqualem valorem cum beatitudine supernaturali; & prius quidem admittunt, sed posterius negant. Ita Durandus in 2. dist. 27. qu. 2. & Scotus in 1. dist. 17. qu. 1. art. 1.

Dico tamen, opera justorum ex gratia & charitate procedentia, esse verè & propriè meritoria de condigno vitæ æternæ, seu habere cum illa condignitatem intrinsicè, & non solum extrinsecam, ex divina ordinatione & acceptatione provenientem. Ita D. Thomas hic ar. 3. ubi asserit quòd

quod opus meritorium hominis iusti potest dupliciter considerari, uno modo secundum quod procedit ex libero hominis arbitrio, alio modo secundum quod est à gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, & prout est ex libero arbitrio, non potest esse meritorium de condigno vitæ æternæ, propter maximam ejus inæqualitatem & improportionem cum illa. Si verò loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ, etiam de condigno, quia sub hac ratione habet æqualem valorem cum beatitudine supernaturali. Unde sicut videmus, quod filius natus ex Rege & femina ignobili, quamvis ex parte matris non habeat jus hæreditarium ad regnum, illud tamen habet ratione patris, à quo nobilitatur: ita similiter, licet bona opera iustorum, ut procedunt à voluntate humana, non habeant condignitatem, & sufficientem proportionem cum præmio vitæ æternæ, quatenus tamen sunt à Spiritu Sancto, eam movente & applicante, & ipsi per gratiam & charitatem conjuncto, sunt meritoria de condigno æternæ beatitudinis, condignitate non solum extrinsecâ, proveniente ex divina ordinatione & acceptatione, sed etiam intrinsecâ, procedente à dignitate & perfectione gratiæ.

111. Ratio etiam suffragatur: Ad meritum enim de condigno verè & propriè dictum, seu quod est tale ab intrinseco, non requiritur æqualitas quantitatis cum præmio, sed sufficit æqualitas proportionis cum illo: At inter opera iustorum, ut procedunt à gratia & charitate, & visionem beatificam, reperitur æqualitas proportionis: Ergo talia opera sunt verè & propriè meritoria de condigno visionis beatificæ, seu æternæ beatitudinis. Major est certa: meritum enim de condigno respicit iustitiam distributivam, & ab ea præmium exigit: sed non requiritur ad condignitatem distributivæ iustitiæ æqualitas quantitatum, sed proportionis tantum, ut ait D. Thomas in 2. dist. 27. quest. 1. art. 3. ad 2. & nos articulo precedenti fusè declaravimus: Ergo ad meritum de condigno non requiritur æqualitas quantitatis cum præmio, sed sufficit æqualitas proportionis.

Minor verò, in qua est difficultas, multipliciter suadetur. Primò quia gratia est semen gloriæ, juxta illud 1. Ioan. 3. *Semen Dei manet in illo*: At semen licet secundum entitatem imperfectius sit fructu, illoque minus secundum quantitatem, est tamen æquale secundum virtutem & proportionem; quia in semine non solum fructus, sed etiam arbor virtualiter continetur: Ergo gratia habitualis, & opera que ab illa procedunt, habent æqualitatem proportionis cum gloria. Unde D. Thomas hic art. 3. ad 3. *Gratia Spiritus Sancti quam in presenti habemus, etsi non sit æqualis gloriæ in actu, est tamen æqualis in virtute: sicut semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem.*

112. Probatur secundò: Vita æterna, seu visio beatifica, est flumen laticans civitatem Dei, Pl. 45. gratia verò sanctificans est fons aque salientis in vitam æternam, ut dicitur Ioan. 4. At fons proportionem habet ad flumen, imò totum flumen virtute continet: Ergo & gratia habet æqualitatem proportionis cum gloria, eamque continet virtualiter. Addo quod proportio est inter ascensum & descensum aque; tam enim altè ascendit, quam alè descendit: Sed gratia de cælo descen-

dit, & in hominum corda diffunditur: Quid ergo mirum quod usque ad cælum ascendat, & debitâ proportionem saliat in vitam æternam?

Tertiò probatur eadem Minor: Gratia Spiritus Sancti ad Ephes. 1. dicitur *pignus hæreditatis nostræ*, id est pignus futuræ beatitudinis, quia sicut in hoc pignus ab arrha differt, quod arrha minoris est pretij & valoris, quam res quæ emitur; pignus verò tantum valet, quantum illud pro quo offertur; ita etiam gratia & charitas tantum valent, quantum beatitudo supernaturalis: unde Ioan. 1. dicitur, *Gratiam pro gratia*, id est gratiam consummatam patriæ, pro gratia & charitate vitæ, ut exponit D. Augustinus Epist. 105. & lib. de gratia & lib. arbit. cap. 9. Ergo opus procedens à gratia & charitate, tantum valet in ratione meriti, quantum beatitudo supernaturalis in ratione præmij, subindeque habet cum illa æqualitatem proportionis.

124. Quartò: Motus cujuslibet naturæ habet proportionem cum termino & fine ad quem connaturaliter tendit, ut constat in motu gravium & levium respectu centri: Sed finis & terminus connaturalis gratiæ est vita æterna, seu visio beatifica, quæ est ultima ejus perfectio & consummatio: Ergo omnis motus & operatio gratiæ & charitatis habet proportionem cum visione beatifica.

Denique probatur Minor: Meritum hominis à gratia & charitate procedens, est ordinis supernaturalis, sicut vita æterna: est etiam ejusdem intentionis gradualis; totidem enim visionis gradus cuilibet in patria communicantur, quot habet gradus meriti: item sicut visio beatifica importat Deum unitum intellectui per modum principij & termini, seu per modum speciei impressæ, ita merita à gratia & charitate procedentia, supponunt totam Trinitatem specialiter habitantem in anima iusti per gratiam, ut in Tractatu de Trinitate, agendo de missionibus divinis, fusè exposuimus: Ergo inter merita iustorum à gratia & charitate procedentia, & visionem beatificam, æqualitas proportionis reperitur.

126. Contra hanc conclusionem obijcitur primò illud Apostoli ad Roman. 8. *Existimo quod non sunt condigne passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis*; quibus verbis aperte Apostolus videtur excludere condignitatem nostrorum operum, si comparantur cum beatitudine supernaturali. Unde Gregorius magnus in 7. Psalm. penit. ait: *Illi beata vita, in qua cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari: cum Apostolus dicat, non sunt condigne passionibus, &c.* Et Eusebius Emisenus homil. 3. ad Monachos: *Totis licet (inquit) anima & corporis laboribus desudemus, totis licet obedientia viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cælestibus bonis compensare & offerre valebimus.* Item Augustinus in Psalm. 93. considerans inæqualitatem laborum præsentis vitæ cum præmio, quod in futura possidebitur, exclamat: *Eccè quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam, ad accipiendos thesauros sempiternos.*

127. Confirmatur: Passiones & operationes hujus vitæ citò transeunt, & parùm durant: Ergo nullam habent proportionem cum gloria & visione beatifica, quæ interminabilis est, & æternitate mensuratur. Unde ait Apostolus 2. ad Corinthi. 4. *Quod momentaneum est & leve tribulationis*



nostra, aeternum gloria pondus operatur in nobis. Et D. Bernardus serm. 1. de diversis: *Transit hora, transit & pœna, non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit finem, manet tota simul, & manet in aeternum: guttatim pœna bibit, per minutas transit; at in remuneratione torrens est, voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, flumen pacis.* Ergo in operibus iustorum supernaturalibus, non est condignitas seu proportio cum beatitudine supernaturali.

118. Ad objectionem respondeo primò cum D. Thoma hic art. 3. ad 1. quod Apostolus loquitur de passionibus Sanctorum secundum earum substantiam, non verò ut à gratia & charitate procedunt; sic enim cum gloria habent condignitatem & proportionem, ut supra ostensum est. Secundò dici potest, Apostolum excludere solum condignitatem, secundum quod significat æqualitatem rei ad rem, non verò secundum quod importat solum æqualitatem proportionis, quæ sufficit ad rationem meriti de condigno, ut ex supra dictis patet. In eodem sensu intelligi & explicari possunt SS. Patrum testimonia ibidem adducta.

Ad confirmationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam, quia ut diximus, ad meritum de condigno vitæ æternæ non est necessaria æqualitas operum nostrorum quantum ad omnia, sed sufficit æqualitas quantum ad id ex quo desumitur valor & æstimatio illorum, quod est præcipuè gratia & charitas. Adde quod, opera iustorum, ut à gratia & charitate procedunt, habent quandam proportionem & æqualitatem cum visione beatifica: Tum quia illa, cum sua duratione immutabili & interminabili, in gratia, tanquam fructus in semine, continetur, juxta illud Bernardi serm. 17. in Psal. *Qui habitat: Latet gloria fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet aeternitas, in hoc levi pondus sublime & supra modum:* Tum etiam quia gratia & charitas ex propria natura, & quantum est de se, petunt mensurari duratione immutabili & interminabili, nimirum aeternitate participatâ, quamvis hic in statu vitæ per accidens, ratione subjecti in quo sunt, corruptibiles sint, & tempore mensurentur.

119. Obijcitur secundò: Deus ex communi Theologorum sententia, remunerat iustorum opera ultra condignum: Ergo non est in operibus iustorum vera condignitas ad præmium.

Sed nego Consequentiam: Deum enim remunerare bona opera iustorum ultra condignum, non ita accipiendum est, quasi illa non sint digna præmio vitæ æternæ, sed quòd ultra præmium, quod ex condigno meritis bonis debetur, Deus ex mera libertate & magnificentia, aliquem gloriæ gradum adjungat, ut sic reddat non solum mensuram confertam, quâ æqualitas præmij ad meritum designatur, sed etiam coagitatam & superfluentem, per quod denotatur aliquis excessus supra æqualitatem.

130. Ex quo intelliges, retributionem præmij in Deo esse & à justitia, & à liberalitate; à justitia quidem, quatenus tantum gloriæ confert iustis, quantum habent meriti, ita quòd meritum ipsorum aliquo sibi debito non fraudet; à liberalitate verò, quatenus tribuit plusquam debeat, & præmiat ultra condignum. Unde Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. reddens rationem cur vita æterna dicatur gratia, cum merces sit meriti, ita

A loquitur: *Gratia autem ipsa non injustè dicitur, quia non solum donis suis (id est meritis nostris, quæ Dei dona sunt, ratione gratiæ à qua procedunt) Deus dona sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia divini retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quantumvis bonæ, & ex Deo data, humana voluntatis, atque operationis, excedat.*

ARTICVLVS VI.

Utrum actus elicitus à virtutibus acquisitis, vel infusus, sint meritorij de condigno vitæ æternæ, sine imperio, seu relatione actuali, vel saltem virtuali charitatis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primò, virtutes alias esse theologicas, quæ habent Deum pro objecto immediato & specificativo; alias morales, quæ ordinant & perficiunt hominem in ordine ad bonum honestum & rationi consonum: & istas adhuc esse duplicis generis; aliquæ enim sunt naturales & acquisitæ, quæ regulantur per rationem & prudentiam naturalem; aliæ supernaturales & per accidens infusæ, quæ regulantur per fidem, & prudentiam infusam & supernaturalem.

Suppono secundò, triplicem posse dari relationem seu ordinationem actûs in Deum; nempe habitualem, quæ non est aliud quàm ipse habitus gratiæ & charitatis, in subjecto operante residens, & ejus actum concomitans, non tamen in ipsum influens; actualem, quæ fit medio actu charitatis, per quem operatio quæ eligitur, in Deum ut ultimum finem refertur; & virtualem, quæ continetur in virtute actûs præcedentis, per quem talis operatio in Deum fuit relata.

D Suppono terciò, ad hoc ut actus nostri sint meritorij de condigno vitæ æternæ, non requiri necessariò actualem charitatis ordinationem seu relationem, sed sufficere virtualem, in virtute actûs charitatis præteriti remanentem. Ita expressè docet S. Thomas in 2. dist. 38. quæst. 1. art. 1. ad 4. his verbis: *Ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem, aliquis de Deo vel de charitate cogitet; nec iterum sufficit, quod aliquis in habitu tantum Deum vel charitatem habeat; quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est: sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur; ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de arifice, qui si dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur, sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, & sic in opere ejus rectitudo artis salvatur. Similia habet dist. 40. quæst. unica art. 5. ad 6. ubi sic discurre: *Non sufficit omnino habitualis ordinatio actûs in Deum, quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur: nec tamen**

oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper conjuncta cuilibet actioni, quae dirigatur in aliquem finem proximum, sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur.

134. Ratio etiam id suadet: Nam ut causa influat in effectum, sufficit quod permaneat in se, vel in sua virtute: Ergo ut charitas censeatur influere in nostros actus, eosque imperare, satis est quod remaneat virtualiter in virtute alicujus actus praeteriti: praesertim quia moraliter impossibile est, hominem quando bona operatur, semper intendere in finem charitatis. Unde S. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 13. loquens de oratione, docet ad ejus meritum sufficere primam intentionem in principio habitam, neque requiri actualem, formalem, & continuatam. His pro intelligentia & explicatione tituli praemissis.

135. Circa propositam difficultatem tres versantur celebres sententiae. Prima docet opera moraliter bona, seu actus elicitos à virtutibus moralibus, etiam acquisitis, esse meritorios de condigno vitae aeternae, absque ullo influxu, etiam virtuali, charitatis; dummodo supponant habitum illius in subiecto operante, per quem habitualiter in Deum ordinentur. Ita Vazquez hic disp. 207. per totam, & Gabriel à S. Vincentio in tract. de gratia disp. 21. quaest. 3. pro hac sententia referens Sotum lib. 3. de natura & gratia cap. 4. sed immerito, cum ibi expressè doceat ad meritum requiri quod opus procedat ex gratia, & improber distinctionem eorum qui dicunt, opus meritorium debere quidem procedere ab eo qui est in gratia, sed non ab ipsa gratia.

Secunda fatetur quidem necessariam esse relationem virtuales charitatis, vel saltem alterius virtutis infusae, ut opera bona virtutum moralium acquisitarum sint meritoria de condigno vitae aeternae; sed contendit actus virtutum infusarum, factos ab homine grato, esse meritorios de condigno supernaturalis beatitudinis, ex vi suae bonitatis intrinsecae, absque ulla relatione actuali aut virtuali in Deum ut finem ultimum, quae per actum charitatis praesentem, vel praeteritum illis adveniat. Hanc tenent Suares lib. 12. de gratia cap. 8. 9. & 10. Marcus à Serra hic art. 4. dubio 1. & Philippus à S. Trinitate disp. 7. dubio 5.

Tertia asserit nullum actum virtutis infusae, & multò minus virtutis moralis acquisitae, esse meritorium de condigno vitae aeternae, absque aliquo imperio seu relatione, saltem virtuali, actus charitatis; eique soli deberi praemium essentiale beatitudinis; aliis autem virtutibus, nisi ab illa imperentur, praemium duntaxat accidentale concedi. Hanc sententiam defendunt communiter Thomistae cum Angelico Praeceptore, locis infra referendis, & cum Doctore Seraphico in 2. dist. 4. art. quaest. 3. ubi illam expressè docet. Hos sequuntur Bellarminus lib. de justit. cap. 19. Valentia in praesenti, puncto 3. Lorca disp. 48. & alij. Unde temeraria & intolerabilis est censura Suares, loco citato, cap. 8. num. 9. dicentis, hanc sententiam esse improbabilem & intolerabilem, & parum consentaneam videri Scripturis, & communi sensui Ecclesiae, & Patrum.



S. II.

Vazquezij sententia rejicitur.

136. Deo primò: Ut actus virtutum moralium acquisitarum sint meritorij de condigno vitae aeternae, non sufficit habitualis relatio in finem supernaturalem, sive concomitantia habitus charitatis; sed ejus imperium saltem virtuale requiritur.

Probatur primò ex Scriptura, quae quando bonis operibus promittit vitam aeternam, semper addit hanc conditionem, si fiant in nomine Christi, vel propter Christum, aut propter gloriam Dei, ut Luca 9. Qui recipit unum ex his pusillis in nomine meo, me suscipit: Matth. 19. Omnis qui reliquerit patrem, & matrem, &c. propter nomen meum, vitam aeternam possidebit: Marci 9. Quisquis potum dederit vobis calicem aqua in nomine meo, non perdet mercedem suam.

137. Confirmatur ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. & ad Coloss. 3. sedulo monente fideles, ut quidquid faciunt, in nomine Domini, & gloriam Dei agant: hoc autem non tam sollicitè ab ipsis requireret, si ad meritum nostrorum operum non esset necessarium, sed sufficeret concomitantia habitus charitatis, & habitualis relatio in finem supernaturalem: Ergo illa non sufficit, sed requiritur insuper imperium saltem virtuale charitatis.

138. Probatur secundo ex D. Thoma locis in tertia suppositione relatis, ubi expressè docet, habituales ordinationem actus in Deum ad meritum non sufficere: idque probatur, tum quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex eo quod actu operatur: tum etiam quia alias peccatum veniale hominis justus esset meritorium, utpote à subiecto habitualiter relato in ultimum finem proveniens. Item hic art. 4. ait quòd Meritum vitae aeternae primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus imperantur à charitate: At imperium non solum dicit habituales ordinationem charitatis, sed etiam actuales ejus motionem, vel saltem virtuales: Ergo ad meritum, virtuales saltem charitatis motionem requirit.

139. Probatur tertio ratione quam insinuat Durandus in 2. dist. 40. quaest. 2. num. 11. Infidelitas, vel status peccati mortalis, concomitans bona opera moralia ordinis naturalis, non vitiat illa, nec facit ea demeritoria, nisi aliquo modo informet ea, referendo in finem malum: Ergo pariter gratia & charitas, concomitans actus virtutum moralium acquisitarum, non dignificabit illos, nec faciet meritorios vitae aeternae, nisi ea informet per virtuales saltem relationem ad Deum ultimum finem.

140. Probatur quartò: Ut actus nostri sint meritorij de condigno vitae aeternae, requiritur ut fiant in obsequium Dei, cum una ex conditionibus ad meritum requisitis sit, ut actus fiat in obsequium ejus à quo merces exigitur, ut art. 2. conclus. 3. declaravimus: Sed actus nostri non possunt fieri in obsequium Dei, nisi ad ipsum formaliter vel saltem virtualiter ordinentur: Ergo ad meritum de condigno vitae aeternae, virtuales saltem in Deum ut finem ultimum relatio requiritur.

141. Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Ut actus virtutum moralium acquisitarum sint meritorij vitae aeternae, necesse est quòd sint supernaturales quoad modum: Sed hoc

habere nequeunt ex sola concomitantia habitus charitatis: Ergo neque quod sint meritorij vitæ æternæ. Minor conitar: sola enim concomitantia habitus charitatis, nihil influit in prædictos actus. Major verò probatur: Actus illi, ut sint meritorij vitæ æternæ, debent esse ejusdem ordinis cum præmio illo: Ergo & supernaturales, saltem quoad modum.

142. Confirmatur: Vel charitas, aut ejus objectum, aliquid influit in illos actus, vel nihil? Si nihil influat, licet ipsos comiteretur, ex vi tamen talis concomitantia præcisè sumptæ non sunt supernaturales quoad modum. Si aliquid influat, cum id præstare non possit, nisi in ordine ad proprium objectum, virtualiter saltem illos ad ipsum refert, ac proinde ex vi illius relationis, non verò solius concomitantia, habent quod sint meritorij vitæ æternæ.

143. Dices cum Vazque: hujusmodi actus non habere modum supernaturalitatis ex habitu gratiæ, vel charitatis eos concomitante, sed ex aliquo auxilio naturali, dato per Christum, nimirum ex cogitatione congrua ordinis naturalis, data ex meritis Christi.

Sed hæc solutio frivola est: nam (præterquam quod tale auxilium fictitium est, ut in Tractatu de gratia ostendimus) cum auxiliū ordinis naturalis ejusdem speciei & valoris intrinseci maneat, sive detur per Christum, sive non, repugnat prædictos actus habere modum supernaturalitatis ab auxilio ordinis naturalis, dato ex meritis Christi. Sicut quia oculus restitutus à Deo per miraculum, est ejusdem intrinsecæ perfectionis & speciei, cum oculo per generationem producto, sicut ille nullam potest elicere operationem, vires nature superantem, ita nec ille, nisi à Deo miraculose confortetur, & ad talem actum eleveatur.

§. III.

Solvuntur objectiones.

144. **C**ontra istam conclusionem objicitur primò ex Scriptura: Matth. 12. & Marci 3, dicitur: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est:* Sed qui facit opera moralium virtutum, etiam acquirarum, absque alia ad motivum charitatis subordinatione, facit voluntatem Patris, non solum enim est voluntas Patris, quod ponantur opera virtutum infusarum, verum etiam acquirarum: Ergo est frater, & soror Christi, ac proinde meretur apud Christum; opera namque per que fit quis frater Christi, non possunt non esse meritoria apud ipsum.

145. Confirmatur: In Scriptura operibus misericordiae promittitur merces vitæ æternæ, Matth. 10. *Qui dederit primum aqua frigida tantum, non perdet mercedem suam:* & cap. 25. *Esurivi & dedistis mihi manducare:* Sed opera misericordiae sunt actus virtutis acquisite: Ergo actus virtutis moralis acquisite, secundum se, & absque imperio charitatis, etiam virtuali, sunt meritorij vitæ æternæ, dummodo supponant habitum illius in subiecto operante.

146. Ad objectionem respondeo sensum Scripturæ loci citatis esse, quod quicumque fecerit voluntatem Patris mei, plenè, perfectè, & adequatè, ipse meus frater, & soror, & mater est: qui autem facit opera virtutum moralium, sive infusarum, sive acquirarum, absque motivo charita-

147. **A**nis, & virtuali saltem relatione in Deum ut finem ultimum, non facit voluntatem Dei perfectè & completè; quandoquidem non solum Deus vult quod hujusmodi opera eliciamus, sed etiam quod illa producamus cum tali motivo, & relatione saltem virtuali, juxta illud Apolloli ad Colof. 3. *Omnia quecumque facitis in opere & sermone, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.*

Ad confirmationem dicendum, quod quando in Scriptura operibus misericordiae promittitur merces vitæ æternæ, hoc debet intelligi de operibus misericordiae, que fiunt in nomine Christi, seu propter Christum, ut patet ex locis supra citatis. Unde Leo Papa serm. 7. Quadrag. explicans illud Matth. 25. *Quædum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* subdit: *Quid hoc opere fructuosius? quid hæc humanitatis facilius? qua utique fraude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturam communicationem, jurando homini ab homine praberetur, sed quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio operum celestium, alia terreorum.* Ubi nomine fidei planum est, fidem vivam & charitate formatam, seu per dilectionem operantem, intelligere, subindeque existimare, opera misericordiae non esse celestia, id est digna celesti præmio, nisi à charitate virtualiter saltem imperentur.

148. **C** Objicies secundò: Per opera bona, quibus adimplentur præcepta naturalia, homo vitam æternam promeretur: Sed ad mandatorum naturalium observantiam non est necesse, quod illa ferventur ex motivo charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis: Ergo opera bona à virtutibus moralibus acquisite elicita, sunt meritoria vitæ æternæ, etiam non imperentur à charitate. Minor videtur certa: Major verò probatur, Primò ex illo Christi Lucæ 10. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ubi observationi mandatorum secundum se promittitur vita æterna. Secundò ex Tridentino sess. 6. cap. 10. ubi definit justos per bona opera, & observantiam legis, in dies crescere in justitia. Et cap. 16. adducit illud 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non erit inanis in Domino;* id est erit meritorius; & tamen absolute pronuntiat, *Abundate in omni opere bono:* Ergo censet omne opus bonum, secundum se, & absolute sumptum, esse meritorium vitæ æternæ. Unde in eodem capite subdit, nihil deesse bonis operibus ab homine justificato elicitis, ad hoc ut vitam æternam mereantur. Et can. 32. definit hominem justificatum bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, & vitam æternam. Ubi cum nulla fiat mentio relationis actus charitatis, illa ad meritum vitæ æternæ non videtur necessaria.

149. **E** Respondeo distinguendo Majorem: Per opera bona quibus adimplentur præcepta naturalia, homo vitam æternam meretur, si talia opera fiunt ex motivo charitatis, & ab illa virtualiter saltem imperentur, concedo Majorem: Si fiunt absque ullo motivo & imperio charitatis, nego Majorem: quamvis enim tunc homo per illa opera satisfaciat legi, non tamen vitam æternam meretur; quia, ut infra dicemus, alia est ratio satisfactionis, & alia ratio meriti. Unde D. Thomas qu. 2. de malo art. 5. ad 7. ait: *Modus charitatis sub necessitate præcepti includitur, secundum quod præceptum ordinatur ad consecutionem beatitudinis, non autem secundum quod ordinatur ad vitandum reatum pena.*

Ad primam verò probationem Majoris, de-
sumptam ex verbis illis Christi Luca 10. *Si vis
ad vitam ingredi, serva mandata*, dicendum
est ea debere intelligi de observatione manda-
torum ex motivo charitatis, quæ sola simpli-
citer & absolute legis observatio dicitur: unde
ait Augustinus de spiritu & lit. cap. 14. *Man-
datum non servari, nisi fiat ex amore justitia: non
enim fructus est bonus, qui de charitatis radice
non surgit.*

Eodem modo intelligenda sunt verba Tridenti-
ni, dicentis justos per bona opera, & observan-
tiam legis, crescere in justitia: subdit enim,
Cooperante fide bonis operibus, fide scilicet for-
marâ, & per dilectionem operante. Similiter
cum dicit, bona opera hominis justificati vitam
aeternam promereri, loquitur de operibus à gra-
tia & charitate procedentibus, vel ab ipsa impe-
ratis; ait enim justum mereri operibus in Deo fa-
ctis: sicut autem quando opera dicuntur fieri in
nomine Christi, intelligitur ea fieri ex motivo
charitatis; ita & quando in Deo facta appellan-
tur, significatur ea esse facta ex charitatis impe-
rio, & ad Deum ut finem ultimum virtualiter
saltem ordinata.

150. Objicies tertio: D. Thomas quæst. 2. de malo
art. 5 ad 7. ait: *Habentibus charitatem omnis
actus est meritorius, vel demeritorius*: Sed actus
virtutum moralium in homine justo, facti ex sola
suorum objectorum honestate, non sunt deme-
ritorii: Ergo erunt meritorij.

Confirmatur: Idem S. Doctor in 2. dist. 40.
quæst. 1. art. 5. in corp. docet actum bonum mo-
raliter, in eo qui non habet gratiam, esse indiffe-
rentem ad meritum vel demeritum, non verò in
eo qui gratiam habet, sed in illo debere esse vel
meritorium, vel demeritorium: At si relatio cha-
ritatis requireretur ad meritum etiam in habente
gratiam, posset dari actus cum tali indifferentia,
ut si faceret elemosinam, non referendo illam
per charitatem ad Deum: Ergo juxta D. Tho-
mam, ad meritum vitæ aeternæ in actibus hone-
stis & moraliter bonis, relatio seu imperium cha-
ritatis non requiritur.

151. Ad objectionem respondeo D. Thomam, cum
ait quod in habentibus charitatem omnis actus
est meritorius, vel demeritorius, non loqui de
habentibus charitatem solùm habitualiter, & si-
ne ullo influxu actuali aut virtuali in actus alia-
rum virtutum, sed de habentibus charitatem,
formaliter aut virtualiter influentem in hujus-
modi actus. Unde solùm vult omnes actus virtu-
tum, etiam acquisitarum, in habente charitatem
esse meritorios de condigno vitæ aeternæ; quia
nullus est ex ipsis, qui non imperetur à charitate,
mediate ipsius actu, quo in primo instanti justifi-
cationis, diligendo Deum tanquam ultimum fi-
nem supernaturalem, totam vitam suam eo ipso
retulit in Deum, quantum ad omnes actiones in
ipsum referibiles: hoc enim sufficere, ut omnes
actus boni subsequentes sint meritorij vitæ aet-
ernæ, docet idem S. Doctor quæst. 2. de virtutibus
art. 11. ad 2. dicens: *Cum aliquis seipsum ordinat
in Deum, in omnibus qua propter ipsum facit, ma-
net virtute intentio ultimi finis, qui Deus est:
unde in omnibus mereri potest, si charitatem ha-
beat*. Cæterùm inde non sequitur, solam con-
comitantiam habitus charitatis, sive relatio-
nem habitualement actus virtutis acquisitæ in Deum
ut finem ultimum, sufficere ad meritum, sed so-
lùm ad illud sufficere quamcumque relationem
Tom. IV.

A virtualement ad Deum. Unde ad confirmationem
neganda est sequela Minoris, cum enim nullus
sit actus moraliter bonus, ab homine justo eli-
citus, qui virtute primi actus charitatis eliciti in
instanti justificationis, non referatur ad Deum
tanquam ultimum finem, repugnat dari in eo,
qui habet gratiam, actum moraliter bonum, qui
ad meritum vel demeritum indifferens sit.

Dices primò: Si actus charitatis quo homo in
principio vitæ, vel justificationis, se & omnia
sua retulit in Deum tanquam ultimum finem,
sufficeret ad imprimendum virtualement relationem
ad hunc finem in omnibus alijs sequentibus acti-
bus, non posset esse in homine justo actus otio-
sus, quandoquidem in illa suppositione nullus
debito sine careret.

B Sed negatur sequela: actus enim otiosus non
attenditur ex fine ultimo, sed proximo & parti-
culari qui non sit bonus: eo autem ipso quod ali-
quis actus non habeat finem proximum bonum,
non est ordinabilis in Deum ut finem ultimum,
subindeque in homine justo, virtute primi actus
charitatis, nequit in Deum referri, & ita remanet
venialiter peccaminosus: actus verò omnes
virtutum moralium, etiam acquisitarum, habent
ex natura sua finem proximum bonum, ac proinde
ex se ordinabiles sunt, mediante imperio cha-
ritatis, in ejus objectum, nempe in Deum ut fi-
nem ultimum.

C Dices secundo: Non sufficit quæcumque præ-
terita intentio conficiendi Sacramenta, ad hoc
ut minister censeatur habere virtualement intentio-
nem quando illa conficit, alioquin unica intentio
celebrandi & conficiendi sacramentum Eu-
charistiæ duraret per totam vitam, etsi nunquam
ampliùs cogitaretur de conficiendo hoc sacra-
mento: Ergo similiter primus actus charitatis,
elicitus initio vitæ aut justificationis, non sufficit
ad hoc ut homo justus virtualiter censeatur re-
ferre actus virtutum moralium in Deum ut in fi-
nem ultimum, sed ad hoc requiritur aliquis actus
charitatis, proximè præcedens, & eadem saltem
die elicitus.

D Respondeo concessio Antecedente, negando
consequentiam, & paritatem: nam si in ministro
sacramentorum intentio actualis conficiendi sa-
cramenta sit valde antiquata, & longo tempo-
re præcesserit, non perseverat aliquis effectus ip-
sius, in quo remaneat virtualiter: in homine au-
tem justo, perseverat habitualis & moralis con-
versio ad Deum, tanquam effectus primæ dile-
ctionis, quæ se in Deum actualiter ordinavit,
quandiu per peccatum mortale non retractatur;
& sic ex vi talis dilectionis, omnes actus boni,
respicentes fines bonos proximos, in Deum vir-
tualiter referuntur.

E Objicies quartò: Omnes virtutum moralium
actus erant in Christo Domino infiniti valoris &
meriti, ratione dignitatis Personæ: Ergo etiam
in homine justo, meritorij sunt, ex hoc præcisè
quod à persona grata procedunt.

Respondeo distinguendo Antecedens: Omnes
virtutum moralium actus erant infiniti valoris &
meriti in Christo, ratione dignitatis suppositi in-
finiti, merè materialiter & concomitanter se ha-
bentis ad eorum productionem, nego Antecedens:
concurrentis ad illos per modum principij
quod formaliter, concedo Antecedens. Similiter
distinguo Consequens: Ergo similiter actus homi-
nis justij meritorij erunt ex hoc præcisè quod pro-
cedant à persona gratâ, gratia & charitate cõcur-

rentibus per modum principij ad illos imperandum, concedo: gratiâ & charitate merè concomitantè & materialiter se habentibus ad ipsos, nego.

156. Objicies ultimò: Ut opera moraliter bona sint satisfactoria de condigno pro peccatis, non requiritur relatio seu imperium charitatis: Ergo neque ut sint meritoria de condigno vitæ æternæ.

Respondeo dato Antecedente, de quo in Tractatu de pœnitentiâ, negando consequentiam & paritatem: quia aliunde petitur condignitas satisfactionis, & aliunde condignitas meriti; condignitas enim satisfactionis sumitur ex adæquatione pœnæ cum culpa, juxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*; ad hoc autem ut pœna sit æqualis culpæ, charitatis imperium non requiritur: meritum verò de condigno vitæ æternæ fundatur in proportione actûs cum tali præmio, quam actus virtutum moralium acquiritur, sine actuali aut virtuali saltem charitatis imperio, habere nequeunt.

§. IV.

Opinio Suaris refellitur, & D. Thomæ sententia stabilitur.

Dico secundò, actus fidei & spei, ac virtutum moralium infusarum, ab homine justo elicitos, nisi à charitate formaliter aut saltem virtualiter imperentur, non esse meritorios de condigno præmij essentialis, sed tantum accidentalis.

157. Hanc conclusionem ita clarè & expressè docet S. Thomas varijs in locis, ut de ejus mente nullus dubitandi locus remaneat. In primis enim hîc art. 4. in corp. sic discurret: *Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humane mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod alia virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* Ubi loquitur de actibus omnium virtutum, etiam fidei, & virtutum moralium infusarum. Unde in solut. ad 3. ait: *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem opereur, ut dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc opereur: secundum illud 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Deinde idem S. Doctor 1. p. quæst. 12. art. 6. diversitatem visionis beatificæ reducit in diversitatem luminis gloriæ, diversitatem verò luminis gloriæ, in diversitatem charitatis, ait enim: *Intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi major est charitas, ibi est majus desiderium, & desiderium quodammodo facit desiderantem apertum & paratum ad susceptionem desiderati: unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beator erit.* Similiter in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 4. docet diversitatem mansionum in cælo, ex sola charitate, tanquam ex meriti radice, desumi: *Actus noster (inquit) non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actûs, sed solum ex habitu virtutis quo informa-*

A tur: vis autem merendâ est in omnibus virtutibus ex charitate, qua habet ipsum finem pro objecto: & ideo diversitas in merendo (præmium essentialè) tota reducitur ad diversitatem charitatis, & sic charitas via distinguit mansiones per modum meriti. Item 1. p. quæst. 95. art. 4. hæc scribit: *Quantitas meriti ex duobus pensari potest: uno modo ex radice charitatis & gratiæ; & talis quantitas meriti respondet premio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti, ex quantitate operis; qua quidem est duplex, scilicet absoluta, & proportionalis: vidua enim que misit duobus æra minuta in gazophilacium, minus opus fecit quantitate absoluta, quam illi qui magna munera posuerunt, sed quantitate proportionali: vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Utraque tamen quantitas meriti respondet premio accidentali, quod est gaudium de bono creato.*

Denique idem Doctor Angelicus super cap. 3. Epist. 1. ad Corinth. lect. 2. hæc verba Apostoli, *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, exponens, hæc habet: *Præmium laboris nostri attenditur primò secundum formam charitatis, cui respondet merces essentialis: unde dicitur Joan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo. & ego diligam eum, & manserabo ei meipsum: unde qui ex majori charitate laborat, licet minorem laborem patiat, plus de premio essentiali accipiet. Secundò ex specie operis: sicut enim in rebus humanis ille magis premiatur, qui in digniori opere laborat, sicut architector, quam artifex manualis, licet minus laboret corporaliter: ita etiam in rebus divinis ille qui in nobiliori opere occupatur, majus præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogativam præmij accidentalis, licet forte minus corporaliter laboret: unde aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. Ubi manifestum est, S. Thomam loqui de opere ex virtute supernaturali & infusa procedente, quia aureola, & quodcumque aliud præmium accidentale, correspondere non potest virtuti naturali & acquisitæ, ex propria ipsius bonitate.*

Potest etiam conclusio multiplice ratione suaderi. Prima est: Perfectio vitæ Christianæ essentialiter consistit in charitate: Ergo meritum præmij essentialis in illa sola fundatur; subindeque nulli alteri virtuti potest competere, nisi ex ejus motione & imperio. Consequentia manifesta est: præmium enim essentialè patriæ correspondet perfectioni essentiali vitæ, unde tantò major quis erit in beatitudine, quantò præstantior fuit in perfectione vitæ Christianæ. Antecedens verò docetur à D. Thoma 2. 2. quæst. 184. art. 1. ubi illud probat in argumento *sed contra*, ex illo Apostoli ad Colos. 3. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*; subdens: *quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligant in unitatem perfectam.* In corp. verò articuli, sic discurret: *Vnumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio: charitas autem est, que unit nos Deo, qui est ultimus finis humane mentis, & Deus in eo, ut dicitur 1. Joan. 4. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ. Et in resp. ad 2. ait: *Dupliciter potest dici aliquis perfectus: uno modo simpliciter; qua quidem**

perfectio attenditur secundum id quod pertinet ad ipsam rei naturam, puta si dicatur animal perfectum, quando nihil ei deficit ex dispositione membrorum, & alij huiusmodi qua requiruntur ad vitam animalis. Alio modo dicitur aliquid perfectum secundum quid: quae quidem perfectio attenditur secundum aliquid exterius adiacens, puta in albedine, vel nigredine, vel in aliquo huiusmodi. Vita autem Christiana specialiter in charitate consistit: per quam anima Deo coniungitur: unde dicitur Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio Christiana vita, sed secundum alias virtutes secundum quid, inquit S. Doctor iam relatus: Ergo premium essentiale in patria correspondet soli charitati; accidentale vero alijs virtutibus, ex vi propriae bonitatis intrinsecae: unde nisi earum actus a charitate imperentur, non erunt meritorij praemij essentialis, sed tantum accidentalis.

159. Huic doctrinae & rationi D. Thomae SS. Patrum testimonia suffragantur: nam S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 42. sic ait: *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia.* Et cap. ultimo: *Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Et D. Bernardus serm. 27. in Cant. magnitudinem animae, seu perfectionem eius essentialem in ordine supernaturali, ex magnitudine seu perfectione charitatis docet esse metiendam. *Quantitas iustitiae inquit est mensura charitatis quam habet: ut verbi gratia, quae multum habet charitatis, magna est; quae parum, parva; quae vero nihil, nihil: dicente Apostolo, si charitatem non habuerit, nihil sum.*

160. Secunda ratio: Per illud solum meremur praemium essentiale (quod consistit in fruitione ultimi finis) per quod solum in huiusmodi finem tendimus: Sed per solum charitatem in Deum ut in finem ultimum tendimus; nam per actus virtutum moralium acquiratarum non tendimus nisi in bonum honestum ordinis naturalis; per actus vero virtutum moralium infusarum, in bonum honestum ordinis supernaturalis: Ergo per solos actus a charitate elicitos, vel imperatos, praemij essentiale meremur.

161. Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Nulla virtus potest ferri extra suum objectum specificativum, & elevari ad attingendum objectum specificativum alterius virtutis superioris, nisi medio eius imperio ad talem finem referatur & ordinetur: Sed Deus, ut ultimus finis supernaturalis, est objectum proprium & specificativum charitatis: Ergo nulla virtus potest ferri in Deum ut ultimum finem supernaturalem, nisi mediante imperio seu motione charitatis. Unde D. Thomas hic art. 4. ad 1. *Charitas in quantum habet ultimum finem pro objecto, movet alias virtutes ad operandum: semper enim habuit ad quem pertinet finis, imperat habitibus ad quos pertinent ea quae sunt ad finem.*

162. Confirmatur amplius: In quocunque genere

A sunt entia imperfecta & perfecta, imperfecta, ratione perfectorum ordinantur ad consecutionem finis illius generis; imperfectiora enim non immediate & proxime attingunt consecutionem finis, sicut perfectissima: Ergo cum virtutes morales, tam acquisite, quam infusae, sint imperfectiores charitate, quae est prima & praestantissima omnium virtutum, non possunt perfecte attingere Deum ut ultimum finem supernaturalem, nec suos actus in illum referre, nisi mediante imperio charitatis. Consequentia patet: Antecedens vero varijs exemplis declaratur & suadetur. Nam in serie praedestinationis, licet omnia media & effectus praedestinationis ordinentur ad consecutionem eiusdem finis, unum tamen ordinatur medio altero perfectiori, v. g. auxilia sufficientia collata praedestinitis, in priori sententia, sunt effectus praedestinationis, & tamen non ordinantur perfecte, efficaciter, & infallibiliter ad consecutionem finis, nisi medio auxilio efficaci. Similiter permissio peccati est effectus praedestinationis, & tamen non conducit ad finem praedestinationis consequendum, nisi media poenitentia, vel humilitate. Imo omnia merita, etiam actus charitatis, non conducunt ad consequendam gloriam, nisi medio dono perseverantiae. Denique quando inter primum & ultimum finem sunt plures fines intermedij, ratione finis intermedij magis propinqui ultimo fini, ceteri fines & media ultimum finem attingunt: unde in ordine supernaturali omnes actus virtutum moralium, tam infusarum, quam acquiratarum, debent ferri in finem ultimum, medio aliquo, quod immediatius & proximius ipsum attingat; quod non potest esse aliud quam actus charitatis, cujus objectum est ultimus finis ordinis supernaturalis; & per consequens solum ex imperio charitatis habent quod sint meritorij praemij essentialis.

C Tertia ratio: Omne meritum vitae aeternae simul etiam incrementi charitatis meritum est, ut communiter docent Theologi: Sed charitas non augetur nisi per actus ab ipsa elicitos, vel imperatos, ut frequentius docent Theologi in Tractatu de charitate: Ergo illa solum opera meritoria sunt vitae aeternae, quae vel sunt actus charitatis elicti, vel ab ipsa imperati.

D Quarta ratio: Non est aequum, nec rationi consonum, quod ancillae & pedisseque habeant idem premium, & eandem coronam, ac domina & regina, nisi ex eius imperio: Sed charitas est regina & domina aliarum virtutum, quae sunt veluti eius ancillae & pedisseque: Ergo charitati specialis debetur corona, nimirum gloria essentialis; quae proinde non tribuitur alijs virtutibus, nisi ex eius imperio.

E Quinta ratio: Ut actus sit meritorius vitae aeternae, debet in bonum Dei praemiantis referri, ut art. 2. ostendimus, explicando condiciones ad meritum requisitas: Sed opera aliarum virtutum non referuntur in bonum divinum, nisi a charitate, quae sola bonum divinum, seu Deum ut in se bonum respicit; fides enim tendit in Deum, ut est prima veritas; spes, ut est bonum nostrum, & consequenter ex propria ratione bonum Dei non respiciunt; virtutes vero morales acquisite, vel infusae, quae in voluntate, aut in appetitu sensitivo resident, ordinantur ad reddendum debitum Deo, vel proximo, vel ad moderandas & rationi subijciendas passiones inordinatas appetitus irascibilis, vel concupiscibilis: Ergo opera aliarum

nostram conclusionem sic arguit: Justus eliciens actum temperantiae infusa v. g. meretur de condigno eius augmentum, imò si sit intensior habitu praesistente, est ultima dispositio ad ejus augmentum: Ergo etiam meretur de condigno augmentum gratiae & charitatis, & per consequens vitae aeternae, & praemij essentialis. Probatu consequentia: Aucta proprietate, non potest non augeri essentia, & e contra: Sed virtutes morales infusae sunt proprietates gratiae sanctificantis: Ergo aucta virtute moralis infusae, debet etiam gratia habitualis augeri.

Ad hoc, inquam, fundamentum solutio patet ex jam dictis: Antecedens enim distinguendum est: Justus eliciens actum temperantiae infusae intensiorem habitu, meretur ejus augmentum, ratione imperij charitatis in tali actu virtualiter inclusi, vel ad illum praesuppositi, concedo Antecedens: secluso imperio formali, vel saltem virtuali charitatis, nego Antecedens. Similiter distinguo Consequens: Ergo meretur etiam augmentum gratiae & charitatis, ratione imperij charitatis, concedo: secluso, vel praeciso tali imperio, nego. Alia argumenta §. sequenti solvantur.

§. VI.

Diluntur fundamenta adversae sententiae.

171. **O**bjicies primò: Actus eliciti à virtutibus infusis, sive moralibus, sive Theologicis, secluso imperio charitatis, habent omnes conditiones ad merendum requisitas, sive ex parte personae merentis, sive ex parte ipsius actus meritorij: in primis enim sunt actus hominis justii, & viatoris, ut supponimus: deinde hi actus sunt veri actus, ut patet, & supponuntur esse liberi: sunt etiam supernaturales quoad substantiam, cum eliciantur ab habitibus infusis & supernaturalibus, propter motivum supernaturale: denique, cum illi actus à Deo ut auctore supernaturali procedant, ad ipsum ut finem ultimum supernaturalem tendunt & referuntur; nam ultimus finis semper proportionatur primo agenti: Ergo tales actus, etsi à charitate non imperentur, sunt meritorij vitae aeternae, & praemij essentialis, & non solum accidentalis.

172. **C**onfirmatur: Omnis actus qui procedit à gratia habituali sanctificante, est meritorius vitae aeternae, positis praedictis conditionibus, gratia enim dignificat tam subjectum in quo est, quam operationes ejus quae ab ipsa procedunt: Sed actus eliciti à virtutibus infusis, procedunt à gratia habituali sanctificante; cum enim omnes virtutes infusae emanent à gratia, sicut proprietates ab essentia, ipsa gratia operatur medijs omnibus illis, eo modo quo essentia medijs suis proprietatibus activis, scilicet potentijs: Ergo tales actus sunt meritorij vitae aeternae.

173. **C**onfirmatur ampliùs: Ad meritum de condigno sufficit quod habeat proportionem cum praemio: Sed omne opus gratiae habet proportionem cum vita aeterna: Ergo de condigno illam meretur. Minor probatur: Motus cujuslibet naturae habet proportionem ad finem illius, sicut motus gravium & levium est proportionatus ad fines ipsorum, & illa ad centrum perducit: Sed proprius finis gratiae est vita aeterna, unde Joan. 4. gratia vocatur *fons aquae salientis in vitam aeternam*: Ergo omnis motus gratiae est propor-

Tom. IV.

Ationatus cum vita aeterna, & ad illam hominem perducit.

Ad objectionem respondeo, actibus elicitis à virtutibus infusis, secundum se spectatis, & praeciso charitatis imperio, deesse unam & praecipuam conditionem, ad meritum de condigno vitae aeternae requisitam, nimirum perfectam relationem & tendentiam in Deum ut finem ultimum supernaturalem: licet enim ex natura sua, & ex eo quod à virtutibus supernaturalibus & infusis procedunt, ad ultimum finem supernaturalem ordinentur, haec tamen ordinatio est imperfecta; est enim ordinatio generalissima, quae omnia pertinentia ad unum genus, in finem illius quomodocumque tendunt, & veluti quaedam exigentia, quae ex natura sua postulant in finem ultimum supernaturalem per charitatem perfecte referri. Unde in hoc distinguuntur actus virtutum moralium infusarum ab actibus virtutum moralium acquisitarum, quod illi solum habent potentiam obedientialem, ut in ultimum finem supernaturalem per charitatem ordinentur, illi verò ad hoc proximam & connaturalem capacitatem & exigentiam habent.

174. **A**ddo quod meritum dicit ordinem explicitum ad praemium illi correspondens, & refertur in bonum & obsequium praemiantis: actus verò à virtutibus infusis eliciti, implicite solum ad Deum ut finem ultimum supernaturalem referuntur, quatenus scilicet explicite proprium obiectum respiciunt, quod tanquam finis particularis & proximus sub fine ultimo universali continetur: illi etiam bonum divinum, seu Deum ut in se bonum, proprie non respiciunt, sed illum sub ratione veri, vel quatenus est bonum nostrum, aut prima regula totius honestatis & bonitatis moralis, attingunt, ut in ultima ratione nostrae conclusionis expendimus; unde praeter hanc relationem implicitam & imperfectam, aliam explicitam & perfectiorem exiguat, ut sint meritorij de condigno vitae aeternae, & debent in bonum & obsequium Dei formaliter, aut saltem virtualiter, per charitatem referri.

175. **A**d primam confirmationem, concessa Majori, distinguo Minorem: Actus eliciti à virtutibus infusis, procedunt à gratia sanctificante, mediante charitatis imperio, concedo Minorem: independentem ab imperio charitatis, nego Minorem. Similiter distinguo Consequens: Ergo sunt meritorij vitae aeternae, mediante imperio charitatis, concedo: secluso charitatis imperio, formali, aut virtuali, nego. Solutio patet ex dictis corollar. 4. ibi enim ex D. Thoma ostendimus, nullum esse actum virtutis moralis infusae, qui non includat, vel supponat charitatis imperium; quia omnes virtutes morales infusae sunt connexae charitati, sicut acquisitae sunt connexae cum prudentia. Adde quod actus virtutis moralis infusae praesupponit, & includit judicium prudentiae infusae, sicut actus virtutis moralis acquisitae praesupponit & includit judicium prudentiae acquisitae: constat autem quod sicut judicium prudentiae acquisitae praesupponit rectum affectum circa bonum morale, quod est finis actuum moralium, sic judicium prudentiae infusae praesupponit rectum affectum circa Deum finem supernaturalem, qui est obiectum charitatis: Ergo actus virtutis moralis infusae est propter motivum charitatis, & includit aut supponit necessario ejus imperium.

176. **E**x quo patet responsio ad secundam confir-

Bb

177

mationem: concessa enim Majori, Minor distinguenda est: Omne opus gratiæ habet proportionem cum vita æterna, mediante imperio charitatis, concedo Minorem: secluso charitatis imperio, nego Minorem. Ad probationem illius, distinguo Majorem: motus cujuscumque naturæ habet proportionem ad finem illius, si sit perfectus, concedo: si sit imperfectus, nego. Motus verò gratiæ imperfecti sunt, & veluti informes, nisi a charitate imperentur: unde sine ejus motione & imperio non possunt efficaciter tendere in finem ultimum, nec per consequens vitam æternam de condigno promereri. Nec obstat quod gratia Joan. 4. appellatur *fons aque salientis in vitam æternam*: per hoc enim non significatur, quod gratia sanctificans immediatè per seipsam tendat in vitam æternam, & claram Dei visionem, sed solum mediante charitate, quæ est prima & principalis ejus proprietas, & formalis tendentia seu inclinatio in finem supernaturalem. Sicut in naturalibus gravia & levia immediatè per propriam naturam & substantiam non tendunt ad centrum, sed mediante gravitate & levitate, quæ sunt principia proxima motus sursum & deorsum.

178. **Objicies secundò:** Actus fidei & spei, si fiant à persona justificata, sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, sine alia relatione superaddita ad Deum, & præcisò quocumque charitatis imperio: Sed fides & spes sunt virtutes infusæ: Ergo actus virtutum infusarum, in homine justo, sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, etsi per charitatis actum non referantur in Deum. Major probatur Primò autoritate D. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 9. ubi quærens an actus fidei sit meritorius: respondet affirmativè, & rationem reddit, *quia est actus intellectus assentientis veritati divina ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam*. Et in resp. ad 1. dicit quod licet actus fidei non sit meritorius sine charitate, tamen charitate superveniente sit meritorius. Secundò probatur ratione: Actus fidei est dispositio valde proportionata præmio vitæ æternæ, ut docet D. Thomas in hac parte supra quæst. 4. art. 3. ubi ait, quod fidei in via correspondet visio in patria, in qua formaliter consistit beatitudo. Idem dici potest de spe: tum quia est valde affinis fidei: tum etiam quia sicut fidei correspondet clara visio in patria, ita & spei comprehensio, ut ibidem asserit S. Doctor: Ergo actus fidei & spei sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, si fiant à persona justificata, & in gratia existente, quamvis nullum supponant charitatis imperium.

179. **Respondeo negando Majorem** quoad utramque partem. Et ad primam ejus probationem dico, D. Thomam per imperium voluntatis à Deo motæ per gratiam, intelligere imperium charitatis: quia, ut docetur in Tractatu de fide, pia affectio voluntatis ad credendum in justificationis est actus à charitate elicited, vel saltem imperatus. Unde quando idem S. Doctor in resp. ad 1. asserit, charitate superveniente, actum fidei fieri meritorium, hoc non debet intelligi solum de charitate habituali, sed etiam de actuali, formaliter aut virtualiter talem actum imperante: actus enim fidei non est meritorius, quandiu est informis: est autem informis, donec à charitate imperetur, & quousque verificentur verba illa Apostoli ad Galat. 5. *fides qua per dilectionem operatur*.

A Ad secundam probationem similiter dico, quod actus fidei est dispositio valde proportionata præmio vitæ æternæ, quando est formatus, & à charitate formaliter aut virtualiter imperatus: secus verò si sit informis, & si non includat aut supponat charitatis imperium. Unde quando D. Thomas ait, fidei in via correspondere visionem in patria, loquitur de fide formata, & à charitate imperata. Idem, servatà proportionem, de actu spei dicendum est: licet enim illa sit virtus theologica, & propterea attingat Deum immediatè, non tamen attingit illum ut est bonus in se, sed solum quatenus est bonum nostrum, & prout à nobis diligitur amore concupiscentiæ; unde ut attingat illum, ut in se bonus est, & in ejus obsequium & bonum referatur, requiritur charitatis imperium.

B **Objicies tertio:** Si quis subito rapiatur ad martyrium, ita ut ipsi locus non relinquatur ad referendum per actum charitatis illud opus heroicum in Deum, ut finem ultimum, absque dubio meretur vitam æternam de condigno, & tamen nulla est relatio charitatis, neque actualis, neque virtualis: Sed martyrium est actus fortitudinis, quæ inter virtutes morales infusæ numeratur: Ergo ut actus virtutis moralis infusæ sit meritorius de condigno vitæ æternæ, non requiritur relatio seu imperium charitatis.

C **Respondeo eum qui rapitur ad martyrium,** communiter & regulariter habere actum charitatis, juxta illud Christi Domini: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*. Quod si expressè tunc actum charitatis non elicit, nihilominus ibi erit virtualiter & implicite charitatis imperium, ratione actus quo homo in primo instanti justificationis, diligendo Deum ut ultimum finem supernaturalem, totam vitam suam retulit in Deum, quantum ad omnes actiones in ipsum referibiles: cum enim bonorum actuum operatio sit executio talis propositi, virtualiter ipsum includit, nisi per peccatum mortale talis intentio revocetur, vel interrumpatur, ut §. 3. in solutione tertie objectionis declaravimus.

D **Objicies quarto:** Actus virtutum moralium infusarum ex bonitate sibi propria merentur præmium accidentale, ut supra diximus: Ergo & gloriam essentialem. Consequentia probatur: cum enim præmium accidentale supponat essentialē, & ex illo veluti resultet, non videtur posse augeri, nisi illud pariter augeatur.

E **Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam.** Ad cujus probationem dicendum, quod quamvis præmium accidentale necessariò supponat essentialē, potest tamen augeri, non auctò essentiali, ut patet in Martyribus, qui interdum sunt minores in charitate, & consequenter in præmio essentiali, pluribus Confessoribus, & tamen sunt eminentiores in præmio accidentali, scilicet in aureola martyrij, ut docet S. Thomas quæst. 26. de verit. art. 6. ad 8. dicens: *Aliquis Confessor potest aliquo Martyre esse eminentior, quantum ad præmium essentialē; Martyr tamen eminet, quantum ad præmium accidentale*.



ARTICVLVS VII.

An homo possit sibi vel alijs de condigno, vel saltem de congruo, mereri primam gratiam justificantem, vel augmentum eius, aut primam gloriam, primæ gratiæ habituali correspondentem?

184. **D**ixi primam gratiam justificantem, quia de fide certum est, & in varijs Concilijs contra Pelagianos & Semipelagianos definitum, hominem nullo plane modo posse mereri primam gratiam actualem, prævenientem, & excitantem, qualis est prima vocatio. Unde Apostolus ad Ephes. 1. ait nos esse *sone vocatos*, subindeque nullis præcedentibus meritis, vel occasionibus, aut congruitatibus: qui enim forte eligitur, omnem istam præventionem excludit, ut ibidem lect. 4. observat S. Thomas, subdens: *Quia fors nihil est aliud quam inquisitio rerum, quæ ex divina voluntate sunt: gratia autem ejus ex sola divina voluntate dependet, inde est quod gratia divine vocationis dicitur fors, quia Deus per modum sortis, secundum occultam providentiam, non ex aliojuss meritis, per gratiam internam vocat.* Unde Tridentinum sess. 6. cap. 5. *Declarat ipsius justificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ NULLIS EORVM EXISTENTIÛVS MERITIS, vocantur.* Ubi illa universalis negativa, *nullis existentibus meritis*, videtur omne meritum, tam de condigno, quam de congruo excludere. De quo plura diximus in Tractatu de prædestinatione.

185. Tota ergo difficultas ad primam gratiam justificantem devolvitur, id est ad gratiam illam quæ infunditur à Deo in justificatione impij, dum remittitur peccatum; quæ gratia dicitur prima, non quia infunditur in prima justificatione, cum in omni justificatione detur prima gratia, sed ad distinctionem augmenti gratiæ, quod dicitur gratia secunda. Quæstio etiam procedit de merito tam de condigno, quam de congruo: videtur enim quod per actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam justificantem ultimò disponunt, eamque prioritate naturæ præcedunt, homo possit primam gratiam justificantem non solum de congruo, sed etiam de condigno mereri; cum illi actus, utpote perfectè supernaturales, & ultimæ dispositiones ad gratiam, sint illi proportionati, & primam gloriam, quæ est quid majus primâ gratiâ, de condigno mereantur, ut statim dicemus. Pro resolutione hujus difficultatis

Dico primò: Nullus potest de condigno mereri primam gratiam justificantem, benè tamen ejus augmentum, & primam gloriam, primæ gratiæ habituali correspondentem.

186. Prima pars videtur certa de fide: Tum quia ad Roman. 3. dicitur: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Tum etiam quia Concilium Araucanicum can. 17. definit charitatem esse donum Dei, *diffusum in cordibus nostris, nullis ex parte nostra præcedentibus meritis.* Et Tridentinum sess. 6. cap. 8. prædicta Apostoli verba exponens, ait: *Gratis justificari idèò dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, scæ fides, sive opera,*

Tom. IV.

A ipsam justificationis gratiam promerentur. Quod debet intelligi, saltem de merito condigno; aliàs nullum excluderet meritum, respectu primæ gratiæ justificantis, ab actibus qui illam præcedunt, cum non desit meritum de congruo, ubi est meritum de condigno.

187. Accedunt etiam SS. Patrum testimonia: Augustinus enim Epist. 105. ostendit nullum meritum præcedere justificationem. Et de natura & gratia cap. 5. notat quod in Scriptura justificati non vasa meritorum, sed *vasa misericordiæ*, appellantur, quia prima gratia justificans, non ex meritis, sed ex Dei misericordia illis tribuitur. Unde lib. de gratia & lib. arbit. cap. 6. exclamatur: *Cui redderet coronam justus iudex, si non donasset gratiam misericors pater? Quomodo illa tantam debita redderetur, nisi prius ista gratuita donaretur?* Similia docet Prosper in resp. ad cap. 6. Gallor. *Justificatus homo* (inquit) *id est ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.* Et lib. 2. de vocat. cap. 2. *Datur ergo unicuique gratia sine merito, unde tendat ad meritum; & datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.* Denique Gregorius magnus lib. 18. Moral. cap. 22. aliàs 24. hæc scribit: *Homini meritum divina gratia non ut veniat invenit, sed postquam venerit, facit; atque ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret.*

188. Ratio quoque suffragatur: Nam si aliquis de condigno meretur primam gratiam, vel eam meretur per opera ipsam antecedentia, vel per opera ipsam subsequenta? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor quoad primam partem videtur certa: Tum quia opera primam gratiam antecedentia, vel sunt purè naturalia, vel imperfectè supernaturalia, subindeque gratiæ sanctificantis, quæ est perfectissima forma ordinis supernaturalis, improporionata: Tum etiam, quia omne opus existentis in peccato, impeditur ob indispotionem & statum subjecti, ne habeat rationem meriti apud Deum. Probatur verò quantum ad secundam; Primò quia cum meritum sit veluti motus quidam & via ad præmium, non potest esse quid posterius illo; unde homo non potest mereri illud quod jam habet, sicut nec sperare bonum quod jam possidet. Secundò, quia actus non potest esse meritorius illius formæ, à qua totum valorem meritorium sumit; unde communiter dicitur: *Principium meriti non potest cadere sub merito:* Sed actus qui gratiam sanctificantem in anima supponunt, & eà sunt posteriores, ab illa totam suam dignitatem, & valorem meritorium desumunt: Ergo illam mereri nequeunt. Ex quo intelliges, quod licet daretur, militem, fortiter & generosè pugnando, posse de condigno mereri equum, vel arma sibi à Rege ante donata, homo tamen per actus primam gratiam subsequentes non posset illam de condigno mereri.

E Ratio enim disparitatis manifesta est, quia meritum militis, seu bonus usus equi, & armorum, non est effectivè ab equo & armis, sed à virtute, prudentia, & arte militis, cujus illa sunt tantum instrumenta; prima verò gratia justificans est principium meriti, & valorem meritorium ipsa opera ipsam subsequenta influit. Hanc differentiam insinuat S. Thomas hic art. 5. ad 3. his verbis: *Ad verum dicendum, quod omne bonum opus hominis procedit à prima gratiâ, sicut à prin-*

Bb ij

cipio, non autem procedit à quocunque humano dono; & ideo non est similis ratio de dono gratiæ, & de dono humano.

189. Dices: Licet actus charitatis & contritionis à gratia habituali effectivè procedant, possunt tamen ad eam disponere, ut disputatione præcedenti articulo ultimo fusè ostendimus: Ergo similiter poterunt eam de condigno mereri, quamvis ab illa valorem meritorium sumant.

Sed negatur consequentia, & paritas: Tum quia illi actus habent rationem dispositionis ad gratiam, prout procedunt ab illa præcisè ut exercet munus auxiliij moventis, priusquam intelligatur dignificare subiectum, ac proinde priusquam subiectum completè & in facto esse intelligatur gratum & acceptum Deo: at verò non habent rationem meriti de condigno, nisi prout sunt ab ea ut completè & in facto esse dignificante subiectum, quia meritum de condigno est effectus hominis simpliciter grati & amici Dei. Tum etiam, quia efficacia dispositionis non consistit in valore & condignitate respectu formæ, sed in exigentia connaturali ipsius, & sic intelligi potest aliquid à gratia procedere, & ad ipsam disponere; ad hoc enim sufficit, quod illud quod dicitur ad gratiam disponere, aptet subiectum, ut ab eo connaturaliter talis forma exigatur: nequit tamen fieri, ut id quod à gratia procedit, habeat totum suum valorem meritorium ab ipsa, & eam respiciat tanquam præmium; quia idem esset causa & effectus in eodem genere causæ, nam eo ipso quòd gratia communicaret ipsi operi valorem meritorium, esset causa efficiens moralis illius; ex quo verò esset præmium, causaretur ab ipso opere in genere causæ efficientis moralis, quia meritum est causa efficiens moralis præmij.

190. Secunda pars conclusionis, quæ asserit hominem mereri de condigno augmentum gratiæ, non minus est certa quam præcedens: Tum quia Tridentinum sess. 6. can. 32. anathema dicit ei, qui dixerit hominis iustificati bona opera non verè mereri augmentum gratiæ; & Augustinus Tractatu 5. super Epist. Joan. ait: *Charitas mereatur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Tum etiam, quia ut discurret D. Thomas hic art. 8. *Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit: motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu: terminus autem motus gratiæ est vita æterna; progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis vel gratiæ, secundum illud Proverb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriæ: sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni.**

191. Addo quod in operibus iustorum reperiuntur omnes conditiones necessariæ ad meritum de condigno, respectu augmenti gratiæ: sunt enim, ut supponimus, actus viatorum, liberi, boni, supernaturales, & ordinati ad obsequium & gloriam Dei; & aliunde augmentum gratiæ non est principium meriti, sicut prima gratia iustificans: Ergo nihil impedit quod viri iusti augmentum gratiæ & charitatis de condigno mereri possint. Quomodo verò fiat, & quando conferatur tale augmentum, in Tractatu de charitate dicemus, ubi est proprius locus hujus questionis.

192. Tertia verò pars, quæ dicit iustos posse de condigno mereri primam gloriam, primæ gra-

tiæ habituali correspondentem, patet ex dictis: cum enim prima gloria non sit principium merendi, sicut prima gratia, sed potius terminus meriti, nihil obstat quominus homo per actus contritionis & charitatis, in instanti iustificationis elicitos, primam gloriam, primæ gratiæ iustificanti respondentem, de condigno mereatur, quamvis talem gratiam per illos actus de condigno mereri nequeat. Unde D. Thomas supra quest. 112. art. 2. ad 1. ait: *Preparatio hominis ad gratiam habendam quedam est simul cum ipsa infusione gratiæ: & talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur.* Et Tridentinum sess. 6. can. 32. dicit, *Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sumi, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum.* In quibus verbis observari debet modus loquendi Concilij, aliter loquentis de gloria, quam de gratia: non enim dixit iustum mereri gratiam, & augmentum gratiæ, ne primam gratiam sub merito cadere, docere videretur: de gloria verò non fuit ipsi satis dicere, mereri iustos augmentum gloriæ; ne primam gloriam à merito iustorum excludere videretur.

Ex his intelliges, primum gradum gloriæ primæ gratiæ iustificanti, & actui charitatis & contritionis, ut per illam formato, responderè; diversà tamen ratione, ut hæreditatem quidem gratiæ habituali, ut mercedem verò, sive præmium, actui meritorio; sique talem gradum duplici titulo homini iustificato deberi. Dixi ut per illam formato, quia actus contritionis vel charitatis, in instanti iustificationis elicitos, potest considerari dupliciter, nempe in ratione dispositionis ultimæ ad gratiam habitualem, & in ratione operationis meritoria: primo modo neque primæ gratiæ, neque primæ gloriæ meritorium est; quia non procedit à gratia, ut est forma sanctificans animam, & dans ei esse divinum participativè, sub qua solum ratione est radix & principium meriti; sed ab ea, ut est adhuc infirmitas, & gerit vices auxiliij, ut disp. præcedenti, art. ultimo declaravimus: secundo modo ille actus primam gloriam de condigno meretur; quia efficienter procedit à gratia, non ut est infirmitas, sed in facto esse, & quatenus animæ suum effectum formalem perfecte communicat, eademque gratiæ veluti informatur, & vitæ æternæ proportionatus redditur. Ex quo solves instantiam, quæ contra tertiam partem nostræ conclusionis fieri posset.

Dico secundo, hominem per actus contritionis & charitatis, qui sunt ultimæ dispositiones ad infusionem primæ gratiæ iustificantis, eam non mereri; etiam de congruo, si meritum de congruo strictè & propriè usurpetur: secus verò, si largè & impropiè accipiatur.

Pro intelligentia & probatione hujus conclusionis, sciendum est, meritum de congruo sumi posse dupliciter: primo strictè & propriè, pro iure amabili ad præmium; per quod distinguitur à merito de condigno, quod debitum strictæ iustitiæ, & non solum jus & debitum amicitia importat: secundo largè & impropiè, pro quacumque exigentia formæ, sive sit per modum juris, aut condignitatis, sive per modum solius habitudinis connaturalis; quo pacto omnis dispositio potest dici meritum de congruo respectu

formæ ad quam disponit, quia eam connaturaliter exigit. Hoc præmissis.

195. Facile probari potest prima pars conclusionis, contra Suarezem, & alios Recentiores, qui meritum de congruo, strictè & propriè sumptum, in actibus contritionis & charitatis, ad justificationem ultimò disponentibus, respectu primæ gratiæ justificantis agnoscunt. Nam illi actus, ut supra annotavimus, possunt considerari dupliciter, nempe ut gratiam justificantem per modum dispositionis antecedunt, vel quatenus illam subsequuntur & supponunt, ut formam sanctificantem animam, & ei dantem esse divinum participativè: Sed neutro modo possunt esse meritorij de congruo primæ gratiæ, si meritum de congruo strictè & propriè usurpetur: Ergo &c. Minor patet quantum ad secundam partem, quia opera subsequenti gratiam habent ab ea totum suum valorem meritorium, ac proinde nullo modo possunt esse meritoria ipsius, cum principium meriti, ut supra dicebamus, non possit cadere sub merito. Probatur verò quantum ad primam: Meritum de congruo strictè & propriè sumptum importat jus amicabile ad præmium, ut jam ostendimus: Sed actus qui gratiam justificantem per modum dispositionis antecedunt, tale jus habere nequeunt; cum jus amicabile ex gratia justificante, mediâ charitate proveniat, & opera gratiam antecedentia, quibus homo ad justificationem disponitur, sint ab inimico adhuc Dei, & ab eo qui non est sufficiens ad se exolvendum à debito per peccatum contracto: Ergo &c.

Nec obstat quod actus contritionis, quo homo ad justificationem ultimò disponitur, procedat, in nostra sententia, à gratia habituali: quia non procedit ab illa, ut habet rationem habitus, & formæ sanctificantis, ac dantis esse divinum participativè, sub qua solum ratione fundat perfectam hominis cum Deo amicitiam: sed producitur ab illa, prout est in infundi, & gerit vices auxilij, sub qua formalitate non habet fundare jus amicabile ad præmium, sed solum movere voluntatem ad operandum: Ergo actus qui primam gratiam justificantem per modum dispositionis antecedunt, non sunt meritorij illius de congruo, si meritum de congruo strictè & propriè, id est pro jure amicabile, usurpetur.

196. Quod verò eam mereantur de congruo, si meritum de congruo largè & improprie accipiatur, manifestum est: nam actibus charitatis & contritionis, aliisque bonis operibus quæ antecedunt justificationem, puta actibus fidei, orationis &c. peccator ad primam gratiam justificantem disponitur, & eam impetrat, ut patet: Sed dispositio dicit congruentiam quandam respectu formæ: ad quam disponit, cum eam connaturaliter exigit, ut supra dicebamus; similiter petitio & impetratio alicujus doni, aliquod ejus meritum imperfectum dici potest, juxta illud Augustini Epist. 105. *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei.* Ergo homo actibus contritionis & charitatis, & aliis quibus ad primam gratiam justificantem disponitur, eam meretur de congruo, si meritum de congruo largè & improprie usurpetur. Unde D. Thomas in 2. dist. 17. quæst. 1. art. 4. ad 4. ait hominem actibus, quibus disponitur ad gratiam, quodammodo ex congruo gratiam mereri. Et art. 6. dicit quod cum unus homo alteri gratiam de congruo meretur, est hic plus de ratione meriti, quam quando aliquis dicitur sibi

Tom. IV.

A mereri gratiam ex congruo: nam istud meritum est tantum congruum ex parte operis, non autem ex parte personæ operantis; illud verò est congruum ex utraque parte: istud non est per modum juris, sed solum per modum habitudinis connaturalis, quam quælibet dispositio dicit ad formam ad quam disponit, & quam connaturaliter exigit; illud verò est per modum juris amicabile, fundati in legibus veræ amicitiae, quæ exigunt ut amicus amico petenti morem gerat, & ejus voluntatem impleat, ut dicemus conclusione sequenti.

Dico tertio: Purus homo non potest alteri mereri primam gratiam de condigno, bene tamen de congruo. Ita D. Thomas hic art. 6.

B Probatur prima pars ratione quam ibidem insinuat. Meritum de condigno debet esse ex motione divinæ gratiæ: Deus autem non movet, nec ordinat opera justorum, nisi ad merendum ipsis vitam æternam, vel augmentum gratiæ: quia talia opera procedunt à gratia adoptionis, non verò à gratia capitali, quæ non reperitur nisi in Christo Domino, qui solus est caput omnium aliorum hominum; gratia verò adoptionis in hoc à gratia capitali distinguitur, quòd illa solum ordinatur ad sanctificandum & perficiendum subiectum in quo est, nec se extendit ad aliorum perfectionem & sanctificationem; ista verò habet influxum quandam saltem moralem in alios (cum proprium capitis sit in membra sibi conjuncta influere) subindeque movet subiectum in quo est ad sanctificandum alios, & ad merendum ipsis gratiam de condigno. Hanc rationem indicat etiam S. Leo Epist. 97. ad Leonem, cap. 2. ubi sic ait: *Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen infontis occiso, redemptio fuit mundi: acceperunt justi, non dedere coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientia, non dona justitia.*

D Ex hoc inferes, quod si aliquis constitueretur à Deo caput aliorum hominum, posset aliis gratiam de condigno mereri: cum tunc ejus gratia esset capitalis, connaturaliter se extenderet ad aliorum sanctificationem, & influxum aliquem haberet respectu infusionis gratiæ in alios. Unde S. Thomas 3. p. quæst. 64. art. 4. dicit Christum potuisse alicui puro homini communicare tantam gratiæ plenitudinem, ut ejus meritum operaretur ad sacramentorum effectus, & ut sacramentorum effectus sine ritu sacramentorum conferre posset. Ubi non loquitur de merito congrui, cum asserat nulli de facto hoc fuisse communicatum, & aliunde hic art. 6. fateatur in justis esse meritum de congruo respectu primæ gratiæ aliorum, ut statim dicemus.

E Adde quod ibidem in solum defectum divinæ motionis & ordinationis reducit, quòd justus non mereatur alteri gratiam de condigno: Ergo gratia in quolibet justo est secundum se sufficiens, ut sit principium meriti de condigno, respectu gratiæ aliorum, si ad hoc ordinetur & acceptetur à Deo. Verum tamen est, quod tale meritum non esset de rigore justitiæ, sicut in Christo: quia supponeret aliquam gratiam puro homini factam, divinam nimirum ordinationem & acceptationem, eique inniteretur.

Dices: D. Thomas 3. p. quæst. 8. art. 6. solum concedit Christo Domino rationem capitis, seu gratiam capitalem; & reddit pro ratione adæquata & totali influxus gratiæ Christi in alios homines, conjunctionem quam habet ejus humanitas

Bb iij

cum Divinitate, ait enim: *Interior influxus gratie non est ab aliquo, nisi à solo Christo, cujus humanitas ex hoc quod est Divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi.* Ergo ubi deest ista conjunctio, ut in homine puro, non potest esse gratia capitalis, nec virtus justificandi alios.

200. Respondeo quod quando D. Thomas dicit humanitatem Christi habere vim justificandi, quia est conjuncta Divinitati, assignat quidem causam, cur de facto vis justificandi, & influendi gratiam in alios homines, humanitati Christi competat, non tamen negat Deum, de potentia absoluta, posse purum hominem constituere caput aliorum hominum, ejusque gratiam & opera ad justificationem illorum ordinare: sicut de facto Adamus fuit constitutus caput non solum naturale, sed etiam morale totius humani generis, quantum ad transfusionem justitiæ originalis, vel privationis illius, in posteros, ut in Tractatu de peccatis declaravimus.

Disp. 8.
art. 2.

201. Secunda pars conclusionis, quæ assertit purum hominem posse alteri mereri de congruo primam gratiam, docetur etiam à D. Thoma hic art. 6. citato, his verbis: *Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, secundum amicitiam proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius.* Quibus verbis declarat, opera, & orationes justorum, habere jus quoddam amicabile, ratione cujus aliorum salutem & justificationem de congruo promereri possunt. Unde Jacobi ultimo dicitur: *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justis assidua.* Et Matth. 9. ac Luca 5. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Supra quem locum dicit Ambrosius: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, alijs relaxat errata.* Et Augustinus homil. 144. in Exodum assertit nos relevari meritis eorum, qui diligunt Deum, & ab eo diliguntur. Denique tritum est illud ejusdem S. Doctoris, effatum: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.*

202.

Addo quod majus est mereri Verbi Divini Incarnationem, quam primam gratiam sanctificantem: At Sancti Patres legis antiquæ de congruo meruerunt Verbi Divini Incarnationem, per preces & obsecrationes, quas continuo pro ea ante Deum fundebant, ut docent Theologi 3. p. quæst. 2. art. 11. Ergo à fortiori unus homo potest alteri primam gratiam justificantem de congruo promereri. Unde Stephanus precibus apud Deum conversionem Apostoli Pauli de congruo meruit, & S. Monica magnum Ecclesiæ lumen Augustinum, precibus suis ad Deum convertit, & multo lacrymarum semine genuit Christo. Item Moyses veniam à Deo obtinuit pro populo Israëlítico, ut docet Augustinus quæst. 149.

203.

Observat tamen S. Thomas in fine corporis articuli citati, quod quandoque homo, cujus desiderat aliquis Sanctus justificationem, & salutem, ei ponit impedimentum: ex quo fit quod aliquando merita, & orationes justorum pro alijs, non fortiantur suum effectum. Unde Jeremiæ 15. dicitur: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum justum.* Hoc est, si oraverint pro populo, & desideraverint ejus salutem æternam, non conferam illam, propter ejus gravissima scelera, quibus impedimentum præstant infusioni gratiæ sanctificantis. Similiter licet Da-

vid pro filio suo Salomone preces & bona opera sæpe Deo obtulerit, multi tamen probabiliter tenent, eum non fuisse salutem æternam consecutum, propter peccatum idololatriæ, & alia ingentia scelera quæ patravit, & quibus impedimentum posuit gratiæ receptioni.

ARTICVLVS VIII.

An justus possit sibi vel alteri mereri de condigno, vel saltem de congruo, reparationem post lapsum?

204. **D**ico primò: Homo justus non potest mereri sibi reparationem post lapsum, merito de condigno, neque de congruo, si meritum de congruo strictè & propriè accipiatur, bene tamen si largè & minùs propriè usurpetur. Ita D. Thomas hic art. 7. dicens: *Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui.* Quod debet intelligi de merito congruo strictè sumpto: nam ad Hebræos 6. lect. 3. aliquid ejus meritum de congruo, largè scilicet & impropriè sumptum, videtur admittere, dum respondens dubio quod sibi proposuerat, *An cadat sub merito quod homo resurgat à peccato, & sic mereatur gratiam?* ait: *Dicendum quod duplex est meritum, unum quod innititur justitiæ, & istud est meritum condigni, aliud quod soli misericordiam innititur, quod dicitur meritum congrui: & de isto dicit quod justum est, id est congruum: quod homo qui multa bona facit mereatur; ista enim misericordia est adjuncta quodammodo justitiæ, plusquam in illo, qui nunquam aliud fecit, & isto modo non obliviscitur Deus operis & dilectionis.* Hoc præmissio.

205. Prima pars conclusionis probatur primò ex Scriptura: dicitur enim Ezechiel. 18. *Si avertit se justus à justitiis suis, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Et cap. 36. *Si dixero justo quod vitâ vivet, & confisus in justitiis suis fecerit iniquitatem, omnes justitiæ eius oblivioni tradentur.* Ex quibus locis potest hoc argumentum deduci: Meritum de condigno semper est in memoria Dei, juxta illud ad Hebræos 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius:* Sed juxta testimonia ex Ezechiele adducta, si peccaverit justus, omnes justitiæ eius, id est omnia illius merita, oblivioni tradentur, seu non recordabuntur: Ergo opera facta in charitate ante lapsum, non merentur de condigno reparationem post lapsum.

206. Probatur secundo ratione D. Thomæ: Meritum de condigno dependet ex motione divinæ gratiæ: Sed motio divinæ gratiæ in justo non potest se extendere ad reparationem ipsius post lapsum; cum per lapsum seu peccatum subsequens illa interrumpatur: Ergo homo justus non potest sibi mereri de condigno reparationem post lapsum.

207. Confirmatur primò: Si homo justus possit de condigno mereri reparationem post lapsum, vel illam mereretur, antequam laberetur, vel postquam esset lapsus? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor quoad secundam partem manifesta est: quia postquam aliquis est lapsus in peccatum, ante gratiæ recuperationem, non est capax merendi aliquid à Deo de condigno, cum sit ejus inimicus. Probatur verò quantum ad primam. Omnia merita hominis justis, quæ sibi comparavit dum in

gratia & charitate existeret, suspenduntur, & impediuntur per peccatum subsequens: Ergo tale peccatum non potest tolli, nec homo lapsus reparari, ex vi meritorum quæ habuit antequam laberetur in peccatum. Peccatum ergo se habet respectu meritorum præcedentium, sicut fictio ad sacramentum: unde sicut fictio non tollitur ex vi sacramenti fictæ suscepti, sed requiritur aliquod aliud sacramentum ad ipsam removendam; ita peccatum mortificans, & suspendens merita præcedentia, non tollitur vi huiusmodi meritorum; sicque nullus potest, dum est in gratia, mereri sibi de condigno reparationem post futurum lapsum.

208. Confirmatur secundò: Meritum de condigno non potest esse ejus præmij, quod non potest nisi indigno exhiberi: Sed reparatio post lapsum non potest exhiberi nisi indigno, peccatori scilicet, & Dei inimico: Ergo meritum de condigno ad illam non potest se extendere. Minor patet: Major probatur. Nulla potest esse justitia, ut exhibeatur aliquid indigno: Sed exhibitio præmij pro merito de condigno, pertinet ad justitiam, ut art. 4. fusè ostendimus: Ergo tale meritum non potest esse ejus præmij, quod non potest nisi indigno exhiberi.

209. Secunda pars, quæ asserit justum non posse sibi mereri reparationem post lapsum, merito de congruo strictè & propriè sumpto, facillè probari potest ex dictis articulo præcedenti: nam, ut ibidem declaravimus, meritum de congruo strictè sumptum, importat jus amicabile ad præmium, & per hoc distinguitur à merito de condigno, quod dicit debitum strictæ & veræ justitiæ, nempe distributiæ: Sed homo justus non habet jus amicabile ad reparationem post lapsum; quia per peccatum subsequens destruitur amicitia Dei cum illo; violatà autem ac dissolutà amicitia, jus amicabile subsistere nequit; unde peccatum subsequens non minus mortificat & suspendit meritum de congruo strictè sumptum, quàm meritum de condigno: Ergo sicut propter illam suspensionem, & interruptionem, justus non potest sibi mereri de condigno reparationem post lapsum; ita nec potest illam promereri de congruo, si meritum de congruo strictè & propriè accipiat.

210. Quod autem illam mereri possit merito de congruo, largè & impropriè sumpto, patet etiam ex dictis ibidem. Ostendimus enim opus imperatorum alicujus doni, aut disponens ad illud, largè & impropriè meritum ejus de congruo appellari posse: Sed justus per orationes, & bona opera quæ in statu gratiæ & charitatis elicit, potest à Deo impetrare & obtinere, ut si labatur, non deseratur, sed ad pœnitentiam revocetur, & ad tale beneficium aliquo modo se disponere; ut patet ex Scriptura, nam 2. Paralipom. 19. dictum est ad Josaphat Regem Juda: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te &c.* Quæ verba indicant sanctum illum Regem, bonis operibus apud Deum obtinuisse, ut etiam cum peccaret, à Deo non desereretur, nec pro meritis puniretur; & similiter Psal. 70. orat Propheta (quod nos etiam facere convenit) *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* quæ oratio frustra fieret, si nulla ei respondere posset impetratio: Ergo justus potest mereri reparationem post lapsum, merito de congruo, largè & impropriè sumpto.

211. Ad do quod D. Thomas loco citato super Epistolam ad Hebræos, docet justum posse mereri de

A congruo reparationem post lapsum: Ergo neco- gamur asserere sanctum Doctorem sibi esse con- trarium, cum hic art. 7. dicat: *Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui;* aut illam sententiam hic retractasse, dicendum est, ipsum ad- mittere meritum de congruo reparationis post lapsum, largè & impropriè sumptum; negare verò meritum congrui propriè & strictè accep- tum; & de primo loqui in commentario super Epistolam ad Hebræos, de secundo verò in sum- ma Theologica.

Dico secundò: Justus potest alteri mereri re- parationem post lapsum, merito de congruo pro- priè & strictè sumpto.

B Probatur: Meritum de congruo strictè & pro- priè sumptum, in amicitia legibus fundatur, se- cundum quas congruum est, quod amicus ami- cum exaudiat: quando petit quæ justa sunt: Sed justus sunt amici Dei, & dum peccatorum petunt conversionem, petunt quæ justa sunt: Ergo con- gruum est quod à Deo exaudiantur, congruitate in legibus amicitia fundatà, & jus quoddam amica- bile importante.

212. Confirmatur: Eadem est ratio de reparatione post lapsum, ac de infusione primæ gratiæ: Sed ju- stus potest alteri mereri primæ gratiæ infusio- nem, merito de congruo strictè & propriè sumpto, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo & re- parationem post lapsum.

C Confirmatur ampliùs: Ideò justus non potest sibi mereri merito de condigno, vel de congruo, propriè accepto, reparationem post lapsum, quia pro tempore quo redditur præmium non est in statu remunerabilis; cum pro tunc sit peccator, & Dei inimicus, ut conclusioe præcedenti declara- vimus: Sed quando fit reparatio alterius, justus pro tunc est in statu remunerabilis, cum pro illo tempore maneat justus, & Dei amicus, ut suppo- nimus: Ergo licet justus non possit sibi mereri reparationem post lapsum, merito de congruo propriè sumpto, eam tamen potest mereri alteri.

D Ex quo inferes, quod si justus per bona opera, in gratia & charitate elicit, mereatur alteri de congruo primam gratiam, & postea peccet mor- taliter, illa ex vitalis meriti alteri non conferretur, quia peccatum superveniens mortificat omnia merita justæ præcedentia; & ea impedit ne actu consequantur aliquod præmium, facitque quod ille non sit in statu remunerabilis, cum reddat ip- sum Dei inimicum. Ad do quod, sicut lex amicitia postulat, ut amicus faciat voluntatem amici, & ei petita concedat; ita etiam ut violatà & dissolutà amicitia, revocentur omnes concessiones ejus in- tuitu factæ, si non sint omnino adimpletæ.

ARTICVLVS IX.

An justus possit sibi mereri de condigno, vel saltem de congruo, donum perseverantiæ?

D E dono perseverantiæ plura diximus in Tra- ctatu de gratia, ubi ostendimus, tale do- num consistere formaliter in conjunctione gratiæ cum morte, ex efficaci gloriæ intentione impe- rata, & medium esse inter auxilia communia, quibus justificati servant mandata, & donum con- firmationis in gratia; quia præter auxilia efficacia, quibus adimplentur præcepta, donum perseve- rantia addit continuationem usque in finem,

quam non dicunt talia auxilia; & præterea, ut docet S. Thomas; contra Gent. cap. 162. hoc donum addit gratiam externæ protectionis, per quam tolluntur homini plures occasiones peccandi, & provocantia ad peccatum comprimuntur: differt autem à dono confirmationis in gratia, quia illud est commune omnibus prædestinatis, istud verò solum aliquibus, maximâ sanctitate præditis, ut B. Virgini, S. Joanni Baptista, & Apostolis, post adventum Spiritus Sancti super eos in die Pentecostes. Præterea donum perseverantiæ, ex parte gratiæ habitualis, nihil dicit speciale, & solum ejus essentia sita est in serie seu collectione auxiliorum specialium; collatorum usque in finem vitæ, quorum beneficio gratia habitualis cum morte conjungitur, sive gratia vitæ cum gratia patriæ: donum verò confirmationis, præter auxilia specialia, dicit ex parte gratiæ habitualis quemdam modum participatum à gratia consummata patriæ; quia sicut gratia patriæ est principium impeccabilitatis in beatis, ita & gratia vitæ in confirmatis in gratia; diversimodè tamen: nam gratia consummata patriæ, cum sit radix visionis beatificæ, quæ Deum ut habentem omnem rationem boni voluntati manifestat, est causa necessitatis in actu charitatis; donum verò confirmationis non tollit libertatem ab actu charitatis, sicut nec donum perseverantiæ: unde sicut donum perseverantiæ medium est inter auxilia communia quibus adimplentur præcepta, & donum confirmationis in gratia; ita donum confirmationis in gratia mediat inter donum perseverantiæ, & claram Dei visionem, seu amorem beatificum. Hoc præmissis, pro resolutione propositæ difficultatis

217.

Dico primò, hominem non posse mereri de condigno donum perseverantiæ.

Conclusio est certa de fide: colligitur enim ex variis Scripturæ locis, præsertim ex illo Joan. 15. *Ego posui vos ut caris, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quo loco Deo attribuitur, ut fructus prædestinatorum maneat usque in finem, & jungatur cum beatitudine supernaturali, in qua conjunctione, ut diximus, donum finalis perseverantiæ formaliter consistit. Item Apostolus ad Philip. 2. ait: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Quibus verbis declarat, perficere opera bona & meritoria, & ea perducere ad vitam æternam, ita esse proprium Dei, ut nullâ ratione pertineat ad voluntatem hominis; quæ cum sit mutabilis, & vertibilis à bono in malum, non potest firmari in bono, & in eo diu perseverare, nisi speciali Dei auxilio figatur, ut ait S. Thomas 3. contra Gent. cap. 155. & 2.2. quæst. 137. art. 4.

118.

Addo quod cum Deus sit Alpha & Omega, & rerum omnium finis & principium, speciali jure ipsi debentur rerum omnium initia & fines; quapropter præceperat olim sibi terræ frugum primitias & decimas offerri: primitias ut primo omnium principio, decimas tanquam ultimo fini; denarius enim numerus ultimæ perfectionis symbolum est, quia in denario ad unitatem, quæ est principium numeri, reditur, tuncque res perficitur, cum suam reperit originem, & ad suum principium redit. Sicut ergo prævenienti gratiæ rectæ vitæ tribuitur initium; sic felix illius clausula dono perseverantiæ assignatur: utrumque divinæ gratiæ opus est, illud prævenientis, istud finalis; ambo divinæ munificentia dona præclarissima: neutrum cadit sub merito, illud quidem, quia principium est meriti; istud, quia meritorum om-

niū perfectio & consummatio est; & quia etiam, ut infra cum D. Thoma dicemus, se tenet aliquo modo ex parte principij meriti, & cum illo non ponit in numero. Unde Tridentinum sess. 6. cap. 13. de perseverantiâ munere ait: *Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est, eum qui stat staturus ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere.* Augustinus etiam lib. de dono perseverantiæ cap. 2. illam, *Magnum Dei donum, quo cetera ejus dona conservantur, appellat.*

Observant etiam Scripturæ Interpretes, quod electorum prædestinatio est veluti aurea quædam catena, quæ Deus homines ad se trahit, & è terra ad cælum evehit, ex variis Dei beneficiis, veluti annulis, composita, nempe prædestinatione, vocatione, justificatione, & glorificatione, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Quos enim prædestinavit, hos vocavit, quos justificavit, quos glorificavit.* Aurea verò fibula, quæ annuli illi inter se cohærent, perseverantiâ est: hæc enim finem principio, & glorificationem æternæ prædestinationi conjungit. Hac Deus electos ad cælum attrahit, sed miserans, secundum illud Jeremix 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans;* quia perseverantiæ donum, ex sola Dei misericordia, non verò ex nostrorum operum meritis, nobis tribuitur.

C

Ratio etiam id suadet: Primò quia ut discurret S. Thomas hic art. 9. in argumento *sed contra*: si justus posset sibi perseverantiæ donum de condigno promereri, sequeretur quod nullus justus, vel saltem pauci essent, qui illud non obtinerent, cum meritum de condigno infallibiliter consequatur suum præmium; & sic vel nullus, vel pauci à gloria exciderent; quod repugnat verbis illis Christi Domini, sepe in Evagelio reperitis: *Multis sunt vocati, pauci vero electi.* Nec dici potest ideo multos non obtinere donum perseverantiæ, quia per peccatum illi ponunt impedimentum: ut enim rectè instat S. Doctor, hoc ipsum quod est peccare, opponitur perseverantiæ; unde si justus perseverantiæ donum de condigno mereretur, Deus non permitteret ipsum cadere in peccatum.

D

Secundò id probat in corpore articuli, hac ratione à priori: Quod pertinet ad principium meriti, non cadit sub merito; ut dictum est de prima gratia, quæ quia est principium omnis meriti, sub merito non cadit: Sed perseverantiâ pertinet ad principium meriti, dependet enim solum ex divina motione, quæ est principium omnis meriti: Ergo non cadit sub merito; sed si quis eam à Deo accipit, gratis & absque ullo merito accipit. Ubi, ut rectè observat Cajetanus, S. Doctor non loquitur de quacumque motione gratiæ, sed de motione Dei, quatenus est conservativa gratiæ: sic enim non potest cadere sub merito, quia est continuatio primæ productionis, & entitativè ipsamet prima productio, seu infusio gratiæ, quæ non potest cadere sub merito, cum sit principium omnis meriti. Sicut ergo nemo potest de condigno mereri suam conservationem, quia conservatio non est actio distincta à creatione, quæ non cadit sub merito, sed est ipsa creatio continuata, ut docet D. Thomas 1. p. quæst. 104. art. 1. ad 4. dicens: *Conservatio rerum à Deo, non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis quæ dat esse: ita similiter perseverantiâ non potest cadere sub merito de condigno, quia est ipsa conservatio gratiæ, quæ non ponit in numero cum prima ejus productione,*

E

productione, sed ad illam pertinet & reducitur, A
sicut conservatio ad creationem.

222. Contra hanc rationem D. Thomæ, & nostram
conclusionem, tres fieri possunt instantiæ. Prima
est: Augmentum gratiæ dependet ex motione
Dei: Sed hoc non obstante, potest cadere sub
merito etiam de condigno, ut art. 7. ostendimus:
Ergo & donum perseverantiæ, tametsi depen-
deat ex motione Dei.

223. Secunda: Christus Dominus meruit continua-
tionem unionis hypostaticæ cum humanitate,
quamvis unionem hypostaticam non potuerit
mereri; meruit etiam unionem animæ cum cor-
pore, factam in resurrectione, licet ab initio ta-
lem unionem mereri non potuerit: Ergo licet ho-
mo primam gratiam à principio mereri, non pos-
sit, bene tamen continuationem gratiæ usque in
finem, quam dicit donum perseverantiæ.

224. Tertia: Qui potest mereri majus præmium, po-
test & minus: Sed homo potest de condigno me-
reri beatitudinem supernaturalem, subindeque
perpetuitatem gloriæ, in illa contentam, quæ est
nobilitas & præstantior quàm perseverantiæ in
gratia: Ergo à fortiori istam poterit de condigno
mereri.

225. Hæc tamen parùm urgent, & ex suprà dictis fac-
ilè dilui possunt. Ad primam enim instantiam
respondetur, quod licet augmentum gratiæ de-
pendeat ex motione divina, habet se tamen ut
terminus respectu meritorum præcedentium,
quod non habet donum perseverantiæ, cum sit
ipsa conservatio gratiæ, quæ, ut diximus, non
ponit in numero cum prima eius infusione, quæ
est primum principium meriti.

226. Ad secundam nego Antecedens: Christus enim
non meruit continuationem unionis hypostaticæ,
quia continuatio seu conservatio, illius unionis
dependet ex prima actione Dei unitiva, imò est
eadem actio continuata: unde sicut non potest ca-
dere sub merito ut prima unio, ita neque ut con-
tinuatio seu conservatio. Similiter prima unio
animæ Christi ad corpus, non potuit cadere sub
ejus merito, quia ante illam unionem Christus
non erat: de secunda autem facta in resurrectio-
ne, potest dici quod cadit sub merito, quia antea
Christus fuit merens, & ista secunda unio animæ
& corporis non est facta ex vi primæ actionis uni-
tivæ. De quo in Tractatu de Incarnatione.

227. Ad tertiam distingo Majorem: qui potest me-
reri majus præmium, potest & minus, cæteris
paribus, concedo: si cætera non sint paria, nego:
magnum autem inter perpetuitatem gloriæ, &
perseverantiæ in gratia, intercedit discrimen,
nam perseverantiæ patriæ se tenet ex parte termi-
ni meriti, perseverantiæ verò viæ ex parte prin-
cipij, ut docet D. Thomas hic art. 9. in corp. &
in resp. ad 1. ubi ait: *Ad secundum dicendum quod
perseverantiæ quæ erit in gloria, comparatur ad
motum liberi arbitrij meritorium, sicut terminus;
non autem perseverantiæ viæ.*

Dico secundò: Iustus non potest mereri de con-
gruo donum perseverantiæ, si meritum de con-
gruo strictè & propriè usurpetur: bene tamen si
largè & impropriè accipiatur.

228. Prima pars, quæ est contra Suarem, Bellarmi-
num, Valentiam, & alios Recentiores, sequitur
evidenter ex suprà dictis: ostendimus enim ex
Concilijs & SS. Patribus donum perseverantiæ
gratis à Deo donari: Sed quod cadit sub merito
de congruo, strictè sumpto, non gratis donatur;
cum nullum meritum possit intelligi sine ordine

ad præmium: Ergo iustus non potest mereri do-
num perseverantiæ, merito de congruo strictè &
propriè sumpto.

Nec sufficit dicere, quòd meritum de congruo
est meritum secundum quid: nam licet meritum
de congruo, comparativè ad meritum de condi-
gno, sit imperfectè meritum, tamen absolutè
meritum est, quia dicit jus in homine, & inducit
debitum amicabile in Deum. Unde quamvis Se-
mipelagiani (ut in Tractatu de heresi Pelagiana
ostendimus) non condignum, sed solum con-
gruum meritum in operibus naturæ respectu pri-
mæ gratiæ constituerent, nihilominus SS. Patres
contra ipsos disputantes, ex hoc inferebant, quòd
gratia non daretur purè gratis, sed ex aliquo de-
bitò, seu iustitia, saltem imperfecta; quia ut ait
Augustinus de prædestin. Sanct. cap. 6. *Dari ali-
quid gratis, est dari pro nihilo.* Unde cap. 2. ejusdem
libri dicit Semipelagianos non recessisse ab illa
sententia Pelagij, damnata in Concilio Palæstino,
quæ asserbat gratiam secundum merita nostra
dari, & ex iustitia, non verò ex misericordia, &
liberalitate concedi. Item Fulgentius lib. de gra-
tia Christi cap. 18. sic discurret: *Si autem nostrum
est velle credere, priusquam gratia Dei incipiat ad-
juvare, injustè gratia dicitur, quia non gratis da-
tur homini, sed bona retribuitur voluntati.*

Hæc etiam pars probata manet ratione D.
Thomæ suprà exposita: quod enim pe tinet ad
principium meriti, non cadit sub merito, etiam
de congruo; cum principium meriti neque de
condigno, neque de congruo ullus promereri
possit, ut patet de prima gratia, quam, quia est
principium meriti, nullus nec de condigno, nec
de congruo mereri potest, si meritum congrui
propriè & strictè accipiatur, sicut art. 7. ostensum
est: Ergo si donum perseverantiæ ad principium
meriti pertineat, sub merito etiam de congruo,
propriè accepto, cadere nequit.

Quod verò possit cadere sub merito de congruo
largè & impropriè sumpto, ex dictis etiam mani-
festum relinquunt: Nam omne opus impetrato-
rium alicuius, & dispositio ad illud, largè & im-
propriè meritum de congruo dici potest: Sed mul-
ti iusti impetrant a Deo suis bonis operibus &
orationibus perseverantiæ in gratia, & dispo-
nuntur etiam, ut Deus gratis, & misericorditer
ipsis tale donum largiatur: Ergo multi iusti me-
rentur perseverantiæ in gratia, merito de con-
gruo largè & impropriè sumpto; quod infallibile
non est, quia oratio non impetrat, nec meretur
infallibiliter, nisi sit perseverans, ut docet S. Tho-
mas 2. 2. quæst. 83. art. 15.

De hoc merito intelligendus est Augustinus,
dum lib. de dono persever. cap. 6. ait: *Hoc Dei
donum suppliciter emereri potest, sed cum datum
fuerit, amitti contumaciter non potest:* nam adver-
bium illud, *suppliciter*, aperte declarat, ipsum
ibi loqui de merito largè & impropriè sumpto, &
prout idem significat quod impetratio. Perse-
verantiæ enim donum, precibus & bonis operi-
bus posse à Deo impetrari, docet ibidem cap. 1. &
sequentibus, ubi ait quod nos illud petimus uti-
liter à Deo in oratione dominica, quando dici-
mus, *Adveniat regnum tuum:* imò ibidem à ca-
pite secundo usque ad sextum probat ex Cypria-
no, in omni petitione illius orationis, præter-
quam in ista, *Dimitte nobis debita nostra,* tale do-
num à Deo postulari.

ARTICVLVS X.

Utrum temporalia bona cadant sub merito?

232. **P**ro resolutione hujus difficultatis breviter observandum est, bona temporalia dupliciter posse considerari, nempe secundum se, & prout conducunt ad vitam æternam. Reolenda est etiam divisio meriti in meritum de condigno, quod est tale simpliciter, & in meritum de congruo, quod comparativè ad meritum de condigno, est meritum imperfectè tantum & secundum quid. His præmissis.

Dico primò: Si bona temporalia secundum se spectentur, justus ea non meretur de condigno. Ita D. Thomas hinc art. 10.

233. Probatur primò: De ratione meriti de condigno est quod ordinetur ad præmium, tanquam medium ad finem, & via ad terminum: Sed bona opera justorum, à gratia & charitate procedentia, cum sint ordinis supernaturalis, nequeunt ordinari ad bona naturalia & temporalia, tanquam ad finem & terminum: Ergo justus per bona opera talia bona de condigno non meretur, nec illa apud Deum propriè computantur justis in præmium, sed quando expedit, quasi pro corollarijs dantur, juxta illud Matth. 6. *Hæc omnia adjicientur vobis.*

234. Confirmatur: Meritum de condigno, & præmium, debent esse ejusdem ordinis: Sed bona temporalia, & bona opera justorum, à gratia & charitate procedentia, sunt diversi ordinis, cum illa sint intra ordinem naturæ, ista verò pertineant ad ordinem gratiæ: Ergo, &c.

235. Probatur secundò: Si justus bona temporalia secundum se spectata de condigno mereretur, cum consequatur suum præmium, justus semper plus haberet honorum temporalium quam peccatores: cuius tamen oppositum quotidiana demonstrat experientia; bona enim temporalia & mala similiter se habent ad bonos & malos, secundum illud Eccles. 9. *Universa aequè eveniunt justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.*

236. Dico secundò: Justus potest sibi bona temporalia secundum se spectata, de congruo promereri. Ita D. Thomas articulo citato, ubi sic loqui-

A tur: *Si autem considerentur hujusmodi bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid:* At meritum de congruo est meritum secundum quid: Ergo ex D. Thoma justus possunt mereri de congruo bona temporalia, secundum se spectata. Imò etiam ipsi peccatores, per opera bona moraliter, talia bona de congruo interdum merentur, ut Idem S. Doctor affirmat in 2. distict. 27. quæst. 1. articulo 4. dicens: *Frequenter, ut Gregorius dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum qui præmium future gloria non meretur, ut nullum bonum irremuneratum invenitur.* Et lib. 7. de regimine Principum

B cap. 4. 5. & 6. cum D. August. in libris de civitate Dei ostendit Romanos mundum subjugasse, & dominium ac imperium meruisse, ob amorem patriæ, zelum justitiæ, & singularem pietatem, ac civilem benevolentiam.

Dico tertio: Justus potest de condigno mereri bona temporalia, secundum quod ad vitam æternam conducunt. Est etiam D. Thomæ art. citato dicentis: *Temporalia bona, prout sunt utilis ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam, directe & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ, & omnia alia, quibus homo ordinatur ad perveniendum in beatitudinem.*

C Ratio etiam id suadet: Eodem enim merito quo quis meretur finem, meretur etiam mediâ conducentia ad talem finem: Sed justus per bona opera meretur finem, nempe vitam æternam, merito de condigno: Ergo eodem merito merebitur bona temporalia, prout ad vitam æternam conducunt.

Nec obstat quod bona temporalia, secundum se considerata, non sint simpliciter bona, sed solum secundum quid: cum hoc enim stat, quod si spectentur, prout sunt mediâ ex divina ordinatione justos conducentia ad beatitudinem, sint simpliciter bona; medium namque participat bonitatem finis, & sic quando finis est simpliciter bonus in se, mediâ dici possunt simpliciter bona; beatitudo autem est simpliciter bona.

Sed hæc breviter observandum est cum D. Prospero sentent. 212. quod Deus non semper confert ea bona temporalia quæ postulamus, sed vel illa, vel alia magis ad salutem & vitam æternam conducentia: *Fidelis (inquit) supplicat pro necessitatibus hujus vite, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo sit utilis, magis novit medicus quam agrotus.*

